3

Colus Vliſſing-Anus, diſcuſſa.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM. NUOVO

BOne Lector; certe nunc
Nil mortalibus arduum eſt!
Cælum ipſum petitur ſtultitia!
Apud Walachros ita inſulſam, inſanam, & inſipidam illic fabulam ludunt duo ludiones, Grallator Apollonius, ac Bombomachides Larenus, myſtes uterque: ut non *plebiſcitum æque ſcitum ſit*; ac ad fallendum utrique ſcitus eſt animus. Pol! cor *utriſque nunc perviumſt, ut liquet. Is ſi manifeſto tenetur, anguilla eſt, elabitur: Hic in re advorſa verſarier, ac turbo æque citus eſt*: utri ſimulandi palmam dederis, vix jam credo Mercurius diſcreverit. Niſi quod Vliſſinganus aceti pluſculum habere videri cupiat; etſi pepone ſit inſulſior. Quid amplius? perſtrinxeram in Grallis ſubſultantem illum primo; accurrit euro ocior, hic, (necdum credo accitus) citam operam conferens. Venti erant & crepitus, quæ expreſſerat feſtinatio; Bombomachidis inde nomen placuit, quo deluderem: Quid dein? quaſi ex alveari prorumpentes reguli, junctim, punctim, irruêre acrius. Grallatorem furentem objeci; præter inſtitutum luſibus ſeria interſpergens; unde furores, mendacia, ac ineptias, ſi vellent, viderent ipſi. Ac viderunt credo; vel ſi videntes videre nollent, quivis tamen cerneret. Quaſi erube-

ſcentior dein conticuit Grallator, authoritativo ſub pallio deliteſcens. Vliſſing-anus orbitam ſola terit; orbem urbem, cœlum cœnum conciens; ne delirare credatur;

Quaſi propudioſa, pallulam oſtentans,
Sola bella ſit.

ſuadens illic ſalem eſſe, ubi nil quam beta coquitur. Non fuit animus cum ſalivante vetula concurrere: ſpumoſas illas rixas

Dabam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Attamen in os faciemq; obviorum cum ſpueret, quaſi furiata mente, cancellis clūdere viſum fuit; quo ſemotior, labra, mentum, ac ſubtenſa, ſibi ſoli conſpurcaſſit. nec quicquā nunc Bombomachidis crepitus & fragores morabor; defloruit ille facetiarum flos! ac ne furores, mendacia, & ineptias operoſe perſequar: ſtultitia mera eſt, quam pro ſtrena dederat Vliſſinganus: hanc indicabo nunc ſub lanificii ſchemate: ab longinquo ſtantes oblectare ſat habens; ut eminus lanam, linum, colum, filum, futileſque filificationis flexus ſubſannent; dum alibi in pappos diffluet materies; alibi tenuitate frangitur ſtamen; nonnuſquam fungoſa pinguedine ſpiſſeſcit in rudentis vel cannabini laquei craſſitiem; nil ſubtili ſanctitatis Walachræ telæ profuturam. Ac mirum ni ſervitutem ſerviat hæc Vereano; quaſi perpetuo illi dictum ſiet,

Tu hujus oculos in oculis habeas tuis.
Quoquo hic ſpectabit, tu ſpectato ſimul.
Manum ſi protollet, pariter proferto manum.
Si iſte ibit, ito. ſtabit, ſtato ſimul.

Si conquiniſcet, iſtic conquiniſcito ſimul.

Haud aliter quam ſi offa ſemper moneat, neutiquam mores animumque mutans, aut mutatura etiam; niſi ſorbitione, *ut olim Medea Peliam concoxit Senem, quem medicamento dicitur*

Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum:
hanc quoque ex ſtulta reddam Sapientulam.

Attamen contemtim habitam ne ſuſpicetur Vliſſing-anus; Deam faciam, ſed infernalem, Clotho vel Lacheſin Parcarum unam;quia nemini parcens,moneri neſcia, filum ſemper ducit ac perget ducere, ni forte accurrens alicunde Atropos, linum filumque illud Walachrum abſcindat.

Iam primo incipit filum ex maledictorum congerie, quaſi ex floccis paſſim diſperſis, & pappis volitantibus: Præfatione meum ſcriptum vocat *libellum famoſum Larvati turbonis*. Pag. 2. *qui talia portenta effundo, qualia ipſe infernus evomere erubeſceret: qui omnem bonam conſcientiam funditus ejuraſſe demonſtro*. Pag. 19. *qui vix guttulam Chriſtiani ſanguinis in me habeam*: & ſexcenta talia. attamen eadem Clotho,pag. 10. *ad me quod attinet* (inquit) *quantum potui mihi temperavi, ne ulla in eum convitia retorquerem*. ut,Penelopes inſtar, idem filum volvat & revolvat. Solenne hoc videtur eſſeWalachrisTheologis, imprimiſq; huic lanificæ, ut ſale fere careant, nunquã dicteriis; nec poſſint quoque ab conviciis abſtinere etſi velint: paucipitem hanc deam quis non rideat? quæ cum impura Medea dicat,

——— *Video meliora, proboque;*
Deteriora ſequor. ———

Sed Poëtæ venuſti infernales Deas dicebant eſſe

Parcas; Noctis Erebiq; filias: unde non ab cœlicolis hunc morẽ mutuatur Clotho (quod jactat) ſed ab Erynnidum propagine;vel ab *Romano Iove*; *qui ut peccando non peccare*, ſic blaſphemando non blaſphemare creditur. Sæpius hoc filum diſcuſſi, ut vacivas nemo aurîs libens dederit, ſi repetam. unum addam quod pag. 79. ſalivando adglutinat.

Doceat nos velim (inquit) ubi ſcriptura vetet, *Scurram*, *Spurcum nebulonem*, *ſceleſtum*, &c. *vocare qui talem ſe factis probat*. Saliva mera eſt quam exſpuit Clotho! quaſi neceſſe ſit ſingulorum dicendorum agendorumque particulares formulas, in Scripturis,præcipi vel vetari: generalia axiomata præſcribunt: qualia ſunt inter cætera, ne mentimini alter adverſus alterum: hic vetitum ſibi credat Atheum & cetera indigetare, quem vel ignoret, vel ex ſcriptis aliter habere noſcat. ut jam

Quod nocturna ſolent carpentes penſa puellæ, nigrum hoc ſtamen cantillando terminare velim Vliſſinganum.

Myſtæ verba, ſunt acerba
Nunquam ſunt dicteria;
Sunt obſcæna, ſed amæna,
Continent myſteria.
Si quid vile, vel ſcurrile
Habet florilegium:
Offendendi mentiendi
Iactat privilegium.

Non ſemel hoc filo delectatur Parca Vliſſinganus, ſæpius volvit ac revolvit, ait ac negat. Pag. 13. excuſat ſe quod me Atheum vocarit; quia

quia *ſcripſiſſe & dixiſſe me ut Atheum* quidem fatetur, ſed *non feciſſe*,ac *forte Atheum non eſſe.* acutam hebetudinem! tam ſubtile eſt hoc filum,ut mirum ſit, quo dioptro id viderit lanifica. probat tamen. *qui loquitur ut fur;non eſt fur* (inquit,) *ſed qui facit ut fur. ſic qui loquitur vel ſcribit ut Atheus, non eſt Atheus, ſed qui facit.* Romane Jupiter! quis non miretur acumen?. quid ſi dicam, furando ac agendo furem fieri, non dicendo: at contra ſcribendo dicendoque adverſus omnem religionem,pietatem, & Dei cultum, immo omnes pios Dei cultores, Atheum fieri. hoc quia mihi paſſim impingit, quis non delirare videt hanc Parcam, quæ jam negat Atheiſmi crimen mihi ab ſe impoſitum? Quid, quod *nullam Chriſtiani ſanguinis guttulam in me eſſe clamat*, pag. 19, *omnemque religionem ridere*? an non Atheum eſt dicere? Pag. 72. ex apographo Claſſis Walachræ videre eſt, ſemina Libertiniſmi & Atheiſmi mihi attributa, ab Walachris Claſſiariis, ſi non Seſquialter Grallator cum Vliſſinganu fuit tum ea Claſſis. an non Atheus illic audio? qui Semen Atheiſmi ſcripto edam ac defendam? credo inter tomenta Specillum jacuiſſe Torcutæ, cum torquendo non viderit hoc filum Subtilitate diſſiliiſſe. velitaria vel potius liciaria ſunt hæc fila, cujus tomenti aliqua addam, buxei omnia coloris: priuſquam ad polaria devenio.

Pag. 18. 19 mire ſtomachatur, ut circulando filificet, me inter reformatos non eſſe cenſendum, imprimiſque cantillando in me exſpumat, indigne fieri

Tam nimie ut amaretur, inquit,
Vt reformator reformatorum appellaretur.

Voſtram fidem, Pierides Muſa!
Sed cur nec reformator; nec reformator reformatorum audiam? *quia* inquit *longe ante me natum cultus publicus ab Antichriſti Sordibus purgatus fuit*. Inſulſam vetulam! quæ non videat inſtar cannabini rudentis laqueum ſibi omnibuſque hodiernis reformatis circumtexere. ante centeſimum annum Lutherus, Zwinglius, Calvinus & alii, Papæ ſordes expurgarunt; ſi illi propterea ſoli reformatores fuere, poſt illos nemo recte reformator dicetur, judice Lanifica, niſi qui centeſimum annum præterierint. ego contra reformatorum in cenſu habeo, quicunq; poſt illos expurgandis reformandiſque veteribus ſordibus pergunt incumbere: ac, ſi reformati Walachri ad Papatum veterem ſe deformarint iterum, quis reformatorum reformatorem dicendū neget, qui ſuppullulantē de novo apud Walachros papatum, deformem ac Antichriſticum, præcidat, ac reformet?

Haud diſſimile filum volvit pag. 24. me reum fecerat papiſmi; *quia organa dixeram in templis fuiſſe ante papatum*, quod Vliſſinganus abſolute negaverat. adduxeram templum triplex Judaicum, in quo organa ante papatum fuerunt: agnoſcit Clotho, ac *fatetur ſe de Chriſtianis templis tantum loquutam*. neque id non ſuſpicabar, ſed jocari adlibitum erat, ut prudentius poſthac nugaretur. relinquit rem, ſed occaſione hujus ænigma profert, pol Oedipo dignum; quod ſi ſolvam, Jocaſtæ favor amorque promittitur: verbo edam.

Haggæus cap. 2. 7.9. duo tantum templa narrat, prius & poſterius, inquit. ergo deprehenſum me putat, qui tria numerarim. Apollonio vindice dignus nodus! Di-

Dicam paucis quod ſentio, per templum prius intelligit Haggæus templum Judaicum, quod materiale, typus fuit eccleſiæ Chriſtianæ, quæ domus & templum Dei quoque vocatur, 1 Tim. 3.15. 2 Theſſ. 2 4. Per templũ poſterius intelligit eccleſiam Chriſti, per totum orbem diſperſam, ſeu templum Dei novi fæderis, quod ob gentium vocationem & alias cauſas priori multo illuſtrius. Hæc duo templa Haggæi ſunt. Attamen tria quoque ex materiali illo *primo* facere mihi non illicitum fuit; multoties enim mutatum eſt; primo exſtructum ſub Solomone, dein reſtauratum quodammodo ſub Cyro, plenius exſtructum ſub Artaxerxe, præſente ut volunt Haggæo: tertio ab Herode circa natalitia Chriſti; ſemper vileſcens: quod tandem poſt ternam vel quaternam mutationem ſub Tito dirutum prorſus eſt, nec dein reſtaurari potuit: ut jam ſoluto ænigmate, gratiam ſuaviumque debeat Clotho! phî!

Ni me ruri hamaxari mavelim patulum bovem,
Cumque eo in ſtramentis pernoctare perpetim,
Quam tales centum noctes mihi dono dari.

Sed hæc ludicra; ſerium filum torquet pag. 2 8. 11. 18. & paſſim: identidem hoc volvendo, Me omni pœna ac ſannis dignum, qui Walachros orthodoxos viros, ac me meliores, pios & inculpatos derideam ac ſubſannem, quaſi novos Papiſtas & reformatæ religionis deformatores, omnibuſque convitiis proſcindam. in his contorquendis adeo fervet, *ut carnifice mihi opus eſſe dicat potius quam reſponſo*, K *fronti meæ inuſtum velit*; *& linguæ abſciſſione digna eſſe quæ aſſeram*: *ac metuat ne*

 ut al-

ut alter Iudas laqueo vitam finiam. certe dibaphum filum ;

Ac bis aphro ———

Murice tinctum; ſanguinem ſpirans ac tormenta. Quis mollia nunc ſperet ab Caroleis fratribus illis Mattiacis, quorum principibus ſe accenſet Grallator; cum effæta, ac acheruntica Vliſſinganus tam ſupetbe minetur? infernales Deæ erant Parcæ; harum ſe unam prodit eſſe hæc vetula; ab malo dæmone hanc artem mutuata: *is latro eſt, & mendax ab initio*: talis eſt ejus primogenitus Papa; cujus delegatæ ſunt, Hiſpanæ Erynnides; has æmulatur Vliſſing-anus, quæ hic colum fuſumque circulans, tam fortiter exclamat, ut ſalivam exſpuere volens, ſanguinem ſcreet: quin potius cantu nunc lenire iram velim,

Fruſtra tendes, qui prebendes
VValachrum de vitiis:
Filum volvet, & perſolvet
Omnia convitiis.
Scribat vane vel inſane,
Semper erit artifex.
Si quid reſtat quod non præſtat,
Hoc replebit carnifex.

Sed aliud filum torqueat Torcuta. Pag. 4. & 11. non in me modo invehitur; ſed quaſi in furorem acta, dira minatur ſuis Claſſiariis, quod non pariter ſecum inſaniant: *ad hæc Claſſis tacet*, (inquit) *nemo eſt ex illis qui os aperit, ignaviam clamat eſſe, & Deo execrabilem timiditatem*. Citat illud Judic. 5. *Maledicite Merozo, quia non advenerunt in auxilium Ieho-*

Iehovæ. Cenſurarium certe eſt hoc filum; & Walachro-Venetum. Porius, quã temeritatem ſuam rideat, qua ſe colo huic ſolam adligavit, conclaſſicis ſuis immo omnibus eccleſiis reformatis maledicit, ac male precatur: quam venuſte! Si jam prudens Debora Prophetiſſa ſit hæc vetula, aut bellicoſa Hebri uxor Iahel: ego Philiſtæus Iabin, aut graſſator Ciſſera: fabulæ! floccos venatur, ut tomentum conſuat!

Si vera ſunt quæ narrat; cur in angulum, ac (ut alibi ipſe loquitur) poſt carrecta ſe tam cito abripuit Mittelburgenſis Thraſo Grallator? ſi ego Ciſſera, & Merozi incolæ maledicti ſunt; qui ad me obtruncandum non accurrunt; cur inſtar veſaniæ ſola obambulat fucata illa Iahel, clavum temporibus incuſſura, ſi dormitaſſim? nunc quia clavum clavo trudere me ſentit; in querelas effunditur.

An lamenta necdum audierunt Claſſiarii Walachri? an non omnes aliæ eccleſiæ? *Sed hoſtem videre volunt* (inquit) *qui cum manus conſerant.*

Cur non idem Vliſſinganus expectavit? *Sed tota religio à me convellitur* (ait;) *ideo tacendum non eſt.*

Cur ergo non accurrunt ſed tacent omnes ſtirpes Iſrael? ut nil jam reliquum ſit Vliſſinganui quam reſtiarium filum; quo non Walachros modo ſed omnes reformatos myſtas, ignaviæ maledictæ convincat, quod hactenus non accurrerint; vel ſe inſaniæ ac temeritatis damnet, quod tam cito & imprudenter ad bellum non neceſſarium proruperit. Sed cantu denuo hunc furorem mitiget, ac gratanter ſibi dicat;

In me ſola, Chriſti Schola

Ha-

Habet Sapientiam;
Omnes docti nunc indocti
Sapiunt amentiam.

Ad rem dein progreditur, pag. 26. 27. 28. & polare filum texere volens, depoſitâ calanticâ, Ariſtotelis braccam capiti imponit, intra cujus dialecticos terminos ſe volutat; oſtenſura, falſum eſſe *quod aſſeram Grallatorem cum Walachris ſuis totum Hierarchiæ papalis complexum à Papa ſumſiſſe: ex cujus doctrina prodire neceſſe ſit papalem tyrannidem, omniumque errorum illuviem.* tam ferox certe in fuſo hoc volutando, ut audacter clamet, *ſanguinem me prius ſudaturum*, quam id probem. Niſi corporibus carere deas vulgus æſtimaret, adverſus fatidicam præſagitem; ſanguinem bombendo crepaturam prius, quam ab hoc crimine ſe Walachroſque liberet. non fuerit moleſtum ex ante editis ab me, quidquid hic garrit Torcuta, tanquam pappos volitantes diſcutere; quaſi ab Sigopoli rediens ſilentio fere præterit quidquid ad rem faciat; perſequar tamen linificantem; ut nunquam ſibi diſparem eſſe Vliſſing-anum appareat.

In filo hoc lurido convolvendo, alibi nimis, alibi minus materiæ applicat.

Pag. 29. inquit, *Vnicam cauſam cur turbas tantas excitem contra Walachros eſſe; quia tuentur, externa negotia Choragii Eccleſiæ, habere ſanctitatem ſpecialis juris, à ſolis per vocationem ſanctificatis tractandam:* in quo mirandum eſt, tam mendacem eſſe Deam illam Walachram, & Veritatis parcam; ut Noctis filiam ſe eſſe oſtendat; quod fœdas Grallatoris nugas umbris conatur obtegere, quaſi in hoc uno aſſerto om-

omnia contineantur. Fateor, radicale eſſe paradoxum de ſpeciali Sanctitate negotiorum hodiernorum eccleſiæ, qualis erat Levitica; unde paulatim eccleſiaſticus Antichriſti faſtus prodiit: ſed circulatrix eſt hæc Clotho, dum hoc filum ita extenuat, ut fere non videatur ejus abſurditas.

Multa ſunt quæ audacter in centonibus effutierat Grallator, quæ in Grallis & Grallatore furente indicaram, & nunc obliviosa hæc Dea præterit. qualia inter cætera:

1. *Miniſtris ſolis per vocationem hodiernam accedere ſanctitatem ſpecialis juris; qua liceat eis ſolis tractare eccleſiæ Choragium vel totaliter vel partialiter.*

2. *Inter formaliter eccleſiaſtica non tantum cenſenda eſſe prædicationem & adminiſtrationem Sacramentorum; ſed negotia vocandi, minorem majoremque cenſuram; leges eccleſiaſticas ſtatuendi, Ius dependentiæ, hoc eſt conveniendi in Conſiſtoria, Claſſes & Synodos, quidvis illic ſtatuendi de fide vel moribus; cui non Laici modo & vulgares, ſed ipſi principes ſe teneantur ſubjicere, utcunque in ſpecie Scripturis adverſa videantur, idque ob filialem obedientiam quam eccleſiæ præpoſitis tenentur præſtare ſub excommunicationis pœna. ut latius oſtenſum eſt in Grallatore furente.* pag. 24. 25. 26. 27. &c. quas hæc præſtigiatrix non vidit. vel ſi viderit, oculis connivens (ut in multis) Grallatoris ineptias videre noluit.

3. *Ius colligendi diſtribuendique Eleemoſynas; quod ſanctiſſimum quoque ſtatuerat, ob terminum, à quo, ad quem, & per quem; & proinde ordinem & arbitrium collectarum, eccleſiæ convenire; nec dependere ab ulla poteſtate extra eccleſiam.* ut ſcripto quodam artic. 4. aperte à Walachris ſignificatum eſt Magiſtratui

Mit-

Mittelburgenſi 24. Decemb. 1 6 4 3.

4. *Negotia externa eccleſiæ alta & aſtralia eſſe, poli, non ſoli. Contra, Magiſtratus politici negotia adeo vilia eſſe, ut qui viliſſimi ſunt in eccleſia iis præfici debeant, Apoſtolo docente; Magiſtratum ratione Magiſtraturæ, non eſſe in, ſed extra eccleſiam, vel accidens tantum ab eccleſia ſeparabile: nec propterea pro principali membro habendum eſſe, etſi fidelis & eccleſiæ membrum, inſtar nutricii multis beneficiis eccleſiam afficiat; ſed ſi hoc nomine authoritatem in eccleſiam ſibi velit aſſumere, ad negotia eccleſiaſtica jam enumerata, totaliter vel partialiter tractanda, Sacrilegum, Simoniacum, Impium, Tyrannum, & Papam politicum fore, quod eccleſiaſtica vocatione careat.* quæ & multa ejuſdem tomenti in Grallis edideram, ut certe mirandum ſit quod tantopere genua manuſque frixerint Torcutæ, quæ tanta Walachro-Papiſtici lini copia circumvoluta, tam tenue hoc filum fecerit: ut jam hypocauſti vice hæc eſſe poſſint, quo poſt calidior, diſcat craſſius ac pinguius hoc filum ducere.

Attamen nequid nimis! eodem enim loco filum hoc deducens, & volens oſtendere, quod Hierarchiæ papalis complexum à Walachris non defendatur, pag. 27. deſcribit papalem Hierarchiam adultam; tot enim Lini Romani conglomerat, ut quadratum papatum oſtendat ſuo filo; cum contra Embryonem tantum eſſe dixerim in Walachria. facit enim Hierarchiæ papalis complexum in his quinque.

1. *Quod unus Papa Iuriſdictionem habeat in omnes totius orbis eccleſias.* Hoc certe ſolius Papæ ut completi Antichriſti proprium, qualem Grallatorem Walachrarum nuſquam ſcripſi, ſed embryonem

nem vel primulum Papam Walachrum: qui poſtquam in VValachria defenderat Papiſticas illas nugas & Sanctitates, ex quibus non ſimul ſed ſenſim tanquam ex parvis Myſteriis prodiit ille Romanus Baſiliſcus, tam authoritativus & admirabilis illic factus eſt, ut ſi qui pii ejus Symmyſtæ vel politici, in hoc Papiſtico invento illi non ſubblandirentur, tanquam VValachrus Papula cæperit contemnere, ac perſtringere; immo hac ſuperbia fretus Leidenſem aliaſque eccleſias ſannis excipere: Quinimo dependentiæ jus extendebat uſque in Indiam Orientalem, famem illic minitans Miniſtris velut minoribus fratricellis, niſi imperialem Mattiacam dependentiam ſpiritualem (cujus jam cæperat eſſe caput) agnoſcerent. quod ex Grallatoris litteris mox apparebit.

2. *Quod imperet Conſcientiis omnium, & cogat eos, cæca obedientia, credere & obedire ſuis doctrinis & mandatis.* quæ certe adulti Papæ quoque ſunt, qui fatali mundi infortunio id tandem obtinuit, ut illi quantumvis impuro & fraudulento impoſtori totus pene Chriſtianorum numerus, morum, fidei & ſalutis ſuæ res concredant; tam cæce & ſecure; ut quæcunque docet, mandat, jubet; credant ac faciant, haud aliter quam ſi Chriſtum ipſum docentem & mandantem audirent: quam Papæ Romani fortunam Grallatorem mirari & ambire, nemo tam infans eſt qui non videat in illius ſcriptis.

Quid enim aliud ſibi vult? cum ſe Authoritativum prædicatorem & verum Chriſti Legatum ſemper jactat, & qui illum loquentem rejiciat Chri-

Chriſtum rejiciat; & doctrinæ ac ſtatutis eccleſiaſticorum parendum eſſe ſub pœna excommunicationis; ut ſi contingat illos male ſtatuiſſe, tamen parendum ſit cum modeſtia,& Deus orandus ut ab eccleſiaſticis præpoſitis melius ſtatuatur. quæ bruta eſt ſubjectio, imo Papiſtica multo iniquior; papa enim ob infallibilitatis privilegium cæcam ſubjectionem imperat: ille autem ſuæ fallibilitatis conſcius, filiali tamen & cæca obedientia ſibi obediri cupit ſub excommunicationis pœna. quæ Grallatoris aſſerta ſemina & rudimenta cæcæ obedientiæ papalis continere, nemo eſt qui non videat. nam quid proderit ex ſcripturis oſtendiſſe,male docere & male regere VValachros prædicatores, ſi in illorũ arbitrio manet ſcripturis illudere fictis gloſſis; vel etiam contra expreſſas ſcripturas ſua maleficia per fas per nefas tueri? nihil certe hoc ſcripturæ examen quicquam magis juvarit, quam apud Papiſtas; ut in promotione cauſidici Eypeſteyn illic viſum fuit, qui, licet deforis bono teſtimonio haud armatus, ſed contra. magiſtratus ſui teſtimonio infimis, reluctantibus nonnullis, & contra expreſſam Pauli Legem, 1 Tim. 3. 7. in epiſcoporum comparativam ſanctitatem adſcriptus fuit, adnitentibus Grallatore & paucis prædicatoribus.

3. *Quod ſpoliet ſubditos religionis exercitio quoties rebus ſuis id judicat expedire.* quæ Antichriſti tyrannis etſi in Walachro primulo Papa necdum abſolute vigeat, tamen ſimile quid reperias,ſi omnia recte intueare, nec dubium ſit, quin hujus violentiæ papalis dulcedine quoque titilletur. Si enim quod tuetur in ſolo arbitrio eccleſiaſticorum

rum eſt cenſura minor & major, neque eam ut Sanctiſſimam eccleſiaſtici Choragii partem, politici tangere poſſint ſine ſacrilegio Uſæ & Uſiæ; quis non videt facile ab cœna, & præcipuo cultus hodierni exercitio abſtrudi poſſe pios, quoties Grallatori vel aliquot ei ſimilibus viſum erit, vel rebus ſuis judicabunt expedire? Nam ut Doctiſſimus vir Gualterus in Epiſtola quadam ad Illuſtriſſimum Comitem Vuitgenſteinium ſcribit, *Emergent hinc nova tyrannidis cornua, & paulatim criſtas attollent ambitioſi eccleſiarum paſtores, quibus facile fuerit ſuos aſſeſſores in ſuas partes attrahere, cum ipſi inter hos primatum teneant. & hoc me non abſque ratione dicere tua excellentia intelliget, ſi qua ſpecimina veſtri illi jam apud vos dederint, diligenter quæſieris. Etenim à cœna abſtinere per illos juſſi ſunt ſpectatæ pietatis & probitatis viri: qui cur hoc juberentur, nunquam reſcire potuerunt: ſed ſufficiens reſponſum eſſe novis illis alienæ fidei dominatoribus viſum eſt, quod ipſi ſalva ſua conſcientia illos non poſſint admittere.* An non hæc Antichriſti lineamenta ſunt?

4. *Quod Magiſtratus in ſubditos, & ſubditos in Magiſtratus irritet, & eos liberet à juramento fidelitatis erga Magiſtratum.* Adulti papæ rabies quoque ſolemnis eſt. Quam tamen in VValachris Apollonianis velut in embryone prima lineamenta contraxiſſe quivis (qui non cæcus ſit) facile animadverterit. Huc enim ſpectat quod ſe authoritativos Dei Legatos jactant, & fidei atque morum ſupremos arbitros: unde fit, ut ſi quis figmenta illorum & corruptelas detegat, vel fraudes patefaciat, ac vitia & impoſturas carpat; cenſuram illorum non ſolum incurrat, ſed tanquam profa-

nus religionis contemtor ac deriſor accuſetur, exiſtimationem viri illius quantumvis Orthodoxi minuentes apud populum non modo, ſed imprimis magiſtratus, ut irritati, carnifice ſuppleant cæco impetu, quod Apolloniani cenſores rationibus non potuere. hoc jam dudum Papæ Romani artificium fuiſſe certum eſt, quo ſolo gladium ſecularem ſibi ita nunc ſubjecit, ut ad nutum illius eum ſtringere teneantur politici Mundani. quo Papæ jure hæc Torcuta quoque gaudere cupiens, clamat *carnifice* potius adverſus me opus quam *Reſponſo*; *Linguæ abſciſſione* me dignum; & K fronti meæ inurendum cenſet. Neque hoc tantum, ſed ſubditos quoque in rectores irritare norunt Apolloniani turbones. ſi enim viri pii non minus quam graves & prudentes ad reipubl. clavum ſedeant, qui illorum inventis & figmentis nolint aſſentiri: ſtatim damnum illis intentant tanquam profanis, aliquid fingendo quod illorum nomini, famæ ac dignitati obeſſe poſſit apud plebem: quo primum obtento, Legatariæ ſanctitatis privilegio in Cathedra dein tumultuantur, & populum in illos irritant. & huc fere ſpectant omnia quæ Grallator in centonibus aperte ſcripſit, *Magiſtratum non eſſe in, ſed extra eccleſiam, accidens eccleſiæ, cujus negotia adeo vilia ſint, ut minimis & viliſſimis qui in eccleſia ſunt, recte committi poſſint.* nimirum ut Magiſtratibus debito honore primum detracto, perfractis dein omnibus reverentiæ repagulis, ſecurius in rectores irruere diſcat veſana & ſuperſtitioſa Apollonianorum Zelotarum multitudo, quotieſcunque archimandritis ſuis eccleſiaſticis videbitur expedire.

5. *Quod*

5. *Quod omnia mundi regna adimat tradatque quibus vult*: quam poteſtatem primitus ſibi arrogavit diabolus cum Chriſtum tentaret, Matth. 4. & Papa dein ab eo mutuatus eſt ut diabolus incarnatus & quadratus Antichriſtus; quo privilegio magnates ſeducit, ſibique abſolute ſubſternit. Primulus Papa Walachrus cum ſua Cohorte idem affectat quantum poteſt. huc enim ſpectat quod cenſuram minorem & majorem ſpeciali jure ſanctam faciat, & politicos ab ea remotos cupiat ſub pœna ſacrilegii. quod privilegium ſi ſemel obtineant Apolloniani turbones, per indirectum à clavo reipub. facile removebunt quibus male volunt, & graviſſimorum ſcandalorum reos illis ſubſtituent. ſi enim in arbitrio prædicatorum eſt cenſura minor & major ut (volunt,) quis non videt, facile ab cœna ac totius cultus uſu & communione abſtrudi poſſe pios, quotiens Grallatori vel aliquot illi ſimilibus cenſoribus libitum fuerit? Jam ſi hoc poſtulet pro imperio eccleſiaſtico ab eo qui ſimul membrum eccleſiæ & elector ſit, ut in magiſtraturam promoveat, vel ab ea abſtrudat eum, quem is, vel conſiſtorium probat vel improbat: facile extorquebit, ut metu excommunicationis, vel cenſuræ, pareat conſiſtorio is elector: præſertim ſi ſuperſtitioſum eccleſiaſticæ fictæ ſanctitatis larva terreat. Non eſt tam rerum neſcius Apollonius, quin ſciat, centies hanc fabulam ſe adjutore luſam eſſe. Unde apparet Romanum Papam grandævum & quadratũ deſcribere ſua filificatione Vliſſing-Anum; qualem in Walachria reperiri nemo ſanus dixerit; attamen hoc quoque conſpicuum eſt, totius

Papatus rudimenta apud Walachros, dictis, ſcriptis, factiſque apparuiſſe: quæ cum exterminata velim in Walachria, & apud reformatos, ubicunque foveantur, quid ni *reformator reformatorum* audiam? ut jam cantillare ſatius ſit Vliſſing-Anum quam ulterius rixari:

Papam ficta Caſtitas
Vexit in ſplendorem:
Grallatori ſanctitas
Dederat colorem.
Quod Romanus morio
Clarius defendit,
VValachrenſis embryo
Tectius oſtendit.
Ille regum vertices
Turpiter calcavit;
Hic ſublimes apices,
Sibi ſubjugavit.
Quod ſuperbis clavibus
Ille poſſidebat,
Hoc novis ambagibus
Alter ambiebat.

Sed liciaria hic fila quædam intertexit Clotho. Pag. 28. & 29. putat impoſſibile eſſe, ut ex Walachra doctrina de Sanctitate Choragii hodierni prodeat tandem Papatus; *ex vero enim* (inquit) *nunquam falſum naſcitur; neque ex Levitarum hierarchia prout à Deo fuit inſtituta, unquam prodiit Tyrannis vel errorum colluvies*: addo ego, *ne quidem ex primatu ſummi Sacerdotis*. Sed quid hæc ad tuendam

Sancti-

Sanctitatem Walachro-Papiſticam? non magis quam ſi delira vetula reformatis velit perſuadere, ſuperbum Papæ Romani primatum in Eccleſia novi Teſtamenti errores & Tyrannidem introducere non potuiſſe, quia in Eccleſia Levitica à Deo inſtitutus & ſanctificatus id non fecerit. doceat linifica, Deum in novo Teſtamento Leviticam Hierarchiam ſpeciali jure ſanctam inſtituiſſe; fatebor, nec tyrannidem nec illuviem errorum, ex illa per ſe prodire potuiſſe. nunc autem contra ſe res habet, & conſtat Apoſtolos ignoraſſe regimen illud ſpeciali jure ſanctum, quod à Walachris defenditur; ſed à veteris papiſmi architectis primitus in eccleſiam introductum fuiſſe, ac tandem peperiſſe adultum & quadratum Antichriſtum. non ſicut Torcuta delirat, per abuſum, hoc eſt, ſicut ex re bene ordinata abuſive confuſio naſcitur, ſed prout confuſio & falſitas per ſe & neceſſario conſequitur rem falſam & ſubdole confictam: nam ut jam ſæpe oſtendi, non poſſibile tantum eſt, ut ex figmentis Walachræ ſanctitatis, Papalis & Tyrannica Hierarchia enaſcatur; ſed impoſſibile eſt ut non oriatur ex talibus principiis: ut in Walachria & imprimis Mittelburgi viſum eſt: ubi novorum papiſtarum cohors ſola Apolloniani ſcripti perſuaſione tam inflata & Spiritualis facta eſt; ut illico omnes Antichriſti magni Characteres in ſe ipſis oſtentarint, tanquam in Antichriſtico Embryone.

Pag. 29. 30. 31. Undulatum & fluctuans filum texit ex theologorum teſtimoniis, quibus putat ſe cum Grallatore & VValachris

ὁμόψηφον & concalcularem eſſe. tam fragile certe hoc filum eſt, ut ſua ſubtilitate ſponte rumpatur. non modo enim Grallator pleriſque reformatis, ſed ipſi huic parcæ, & uterq; aliis theologis ſunt ἀντίψηφοι & diſcalculares.

In centonibus certe non Muſculo modo ſed omnibus fere Anglis Germaniſque Theologis ſe unum prætulit Grallator, & ab aliis ſe diſcrepare gloriatus eſt: Sed hæc ignorat Clotho, quaſi ab Walachris cœlicolis ad colum alligata, nil videre vel audire debeat, quam quod Walachram Orthodoxiam crepet. Certe Eccleſiaſtici Choragii limitibus figendis, non Revius modo ab noſtro Vedelio, ſed Theologorum reformatorum alter ab altero, fere diſcrepat; ut ab ſuo Grallatore Vliſſing-anus quoque diſſentiat.

Is enim de numero formaliter Eccleſiaſticorum & Choragii negotiis tam effuſe fabulatus eſt; ut non *predicationem* modo, *ſacramenta*, & *claves*; ſed *Nomotheticam*, *Dependentiam*, *Vocationem*, & *Eleemoſynas*, in cenſum horum collocarit: de quibus ſingulis, ita ſuperbit, ut nec *totaliter* nec *partialiter* ſine ſacrilegio à politicis tangi velit. hæc non Veteres Reformatores modo ignorant; ſed ipſa Clotho (ſatis inſane alioquin filificans) tam parca eſt, ut in *predicatione*, *ſacramentis*, & *clavibus* ſubſiſtat pag. 29. immo pag. 33. ſanctitatem ſui Choragii terminat in *predicatione* & *ſacramentis*, nil ultra politicis interdicens.

Accedit alter nodus, quod diſcrimen quidem ponant theologi inter politica & eccleſiaſtica negotia; quaſi confundi temere nolint, (uti

(uti nec ego;) idque Uſiæ, Levitarum, Jeroboami uſæ aliorumque exemplis illuſtrant; ſed neutiquam inter ſe omnes concalculares ſunt, quanta præciſitate diſtent: ſaltem nemo (quin deliret) cum Grallatore & noſtra Torcuta ὁμόψηφος vel concalcularis eſt, qui cum ea ſic inſaniat, ut hodiernum eccleſiæ miniſterium & vetus Leviticum æque præciſi juris ſtatuat: nec minus ſacrilegos eſſe politicos ſi hodie tractent; vel eccleſiaſticos ſi permittant ea tractare politicis. Apud Levitas enim Dei lege, & apertis ſtatutis, templaria ſacrificandi negotia, & alia erant ſanctificata,ac Levitis ſolis adjudicata;quem diremtum Deus miraculis illuſtribus confirmavit illic, & ſæpe ſtabilivit. In novo teſtamento nil illis par reperitur: quod in Grallis & alibi excuſſi: unde hoc videre quoque eſt; ut pro tempore locoque variet hodiernorum eccleſiaſticorum negotiorum tractatio.

Vocatio miniſtrorum (quæ omnis ſanctitatis eccleſiaſticæ ſcaturigo eſt) Genevæ (teſte Vedelio noſtro) ab politicorum arbitrio ſuſpenditur: apud nos approbatio, & alibi electio miniſtrorum per politicos, plus ſanctitatis addit vocationi,quam ſimoniaca V Valachrorum miniſtrorum nundinatio.

Jus dependentiæ apud nos poſſidetur à politicis, qui Synodos admittunt,regunt & firmant. Apud aliquos Helvetios olim nulla preſbyteria erant, vel eccleſiaſtica collegia regentia; ſed piis politicis hoc dabant: cenſuram per abſtentionem à cæna illi ignorabant ac improbabant.

Majoris cenſuræ arbitrium politici in provin-

ciis unitis ſibi ſervant, ne (quod conantur) eccleſiaſtici cenſores, ejus prætextu, ſcandaloſos tegant, probos & pios vexent.

Sacramentorum adminiſtratio, apud Levitas, Apoſtolos, & diu poſt illorum tempora, fuit communis, neque ſolis Levitis, vel eccleſiaſticis propria, quod in Grallis docui & alibi notabo.

Ac ne prædicandi quoque licentia tam præciſi juris eſt reformatis, quin magnus Calvinus, alibi, urgente neceſſitate, præfecto loci docendi partes tribuat. Recte inquit Torcuta, *ſi vocatus ſit*; immo (inquam) Calvino autore non vocatus; quia vocatus, urgente neceſſitate non ſolum, ſed nulla urgente neceſſitate prædicare poteſt & tenetur. Inſtat linifica; *qui ſine legitimâ vocatione baptizat*, (Calvino dicente) *in alienum involat munus*. concedo; ſi id agat nulla urgente neceſſitate. neque hic Calvini locus aliter accipi poteſt. quomodo enim præfecto loci urgente neceſſitate denegabit baptizandi munus, qui prædicandi poteſtatem illi concedit, ſi neceſſitas urgeat? major enim eminentia eſt in prædicatione verbi, quam in ſacramentorum adminiſtratione. ut jam hinc appareat quantum interſit, inter vetera Levitarum negotia ſpeciali jure illis dicata, & Chriſtiani cultus Choragium. illa enim nulla neceſſitas, aut Levitarum conniventia, vel colluſus, faciebat libera politicis, ſi Levitæ non erant; ſed omnia ſingulaque talia fuere, ut præter Levitas nemo impune ea tractaret: at horum nil tam ſpecialis Juris Sanctum, quin, urgente neceſſitate, à politicis tractari poſſint, & ab ipſis eccleſiaſticis per-

mittan-

mittantur. unde non immerito in Grallis & alibi adnotavi, à papiſtis ſumſiſſe Walachros novæ ſanctitatis commentum; ut non materiem modo, ſed ipſam phraſiologiam, ab Jeſuitis & Bellarmino ſumtam eſſe oſtenderim. ac licet minetur Clotho, proditurum aliquando Grallatorem ut ſuas nugas defendat; ſilentio tamen prodit ſe Ammonitam impurum, vel ſeditioſum Ephraïmitam eſſe, Jud. 12. 5. 6. ac dignum quem Jephtes tandem aliquis multarit: qui antea innocuis Gileaditis odium creare, & deque quaque graſſari ſolitus, ad trajectum Jardanis deprehenſus, nunc cum ſuo Jeſuitico Sibolet, tanquam impoſtor ac ſicarius, precium ob malitiam ferat. Sed aliud filum exeat.

Pag. 34. & paſſim clamat, *ultra ſeptuaginta annos ſonuiſſe eandem doctrinam, idem illic fuiſſe regimen, quod hodie*; unde vociferatur *injuriam fieri Grallatori ac Mittelburgenſibus*; *quod de illis metuam, ne in principes ſicarios arment*, &c. Redinfantiam iterum ſapit hoc filum, ac tam luridum eſt, ut nemo non ſuſpicetur, annoſos Papiſtas fuiſſe Mittelburgenſes, ſi ante 70 annos ut Grallator docuerint, ac rexerint. ſed hoc filum ita exſalivat, ut *identitatem* iterum hic *ſubſtantialem* obtendat, quæ tam laxa ſit, ut cum Papa facile olim & nunc convenerint VValachri; quia nimirum hodie adhuc ab ſuggeſtu declament; cænam celebrent; cenſuram exerceant; leges faciant, & cætera exequantur mattiace ac imperialiter. & proinde ſubſtantiam cultus retineri, etſi accidentium multa ſit diverſitas. ſed in hoc delirat prorſus Grallatoris more; cum accidentalitatem magiſtratus

contemnit; quæ tamen dignitate exæquet omnem eccleſiaſticam pene ſubſtantialitatem : ſic Walachri regiminis dignitatem metitur ab ſubſtantiæ integritate, licet eam corrumpat hodie nova Grallatoris accidentalitas. Haud aliter ac ſi clamet de calantica, ſi olim fuerit holoſerico, fimbriis, ac mæandro Amazonico nitens ac villoſa; eandem tamen numero vel ſubſtantia eſſe, dum hodie ſit attrita, depexa, lacera, muco ac unguine pinguis, inſectorum propagine ſcatens, denique talis, ut inter ſcruta abjici & calcari mereatur.

Quis veterum Reformatorum, ſi reſurgeret, Grallatoris doctrinam noſceret; qui ſic ſcribentem audiat, ut non materiem modo ſed ipſam Phraſiologiam, ab Jeſuitis ac Bellarmino ſumſerit; quique talia dicentem ac facientem videat, ad quæ veteres Papiſtæ hodie cautiores, forte erubeſcerent? nam quod alias monui & denuo hic referre cogit Vliſſing-anus.

Mandaverant Illuſt. Ordines Zeelandiæ, ne Walachra Claſſis ad Anglos ſcriberent, niſi litteris primum à ſe lectis: quia tunc temporis propter regni diſſidia id periculoſum judicabant: hoc quia non probavit Grallator cum aliquot Walachris; contempto Ordinum Mandato, miſerunt in Angliam epiſtolam ab Ordin. non viſam.

Juſſerant quoque Illuſtres Ordines Eleemoſynam cito colligere & Irlandis celeriter tranſmittere, more cuivis uſitato & convenienti, in menſam Mittelburgenſem collato ære. Grallator, quia urgebat hoc ſpecialis juris, & formaliter eccleſiaſticum

ſticum negotium eſſe, ac politicis illicitum, Mittelburgi magiſtratui ſe oppoſuit, qui domatim iſtam collectam volebat fieri; interdicens diaconis ne collectam ita facerent, ſatius eſſe muſſitans nunquam collectas inſtitui, quam ut nefaſto more per magiſtratus tam ſanctum eleemoſynare opus pollueretur.

Inſtituerat Magiſtratus Mittilburgenſis tribunal parvarum litium, aliarum urbium exemplo: quoſdam etiam ex Senatorum numero removerat, invito Apollonio. hoc quia non placebat Walachris flaminibus: cottidie magnam convitiorum vim ab ſuggeſtu efflabant; tandemq; fandi copia poſtulata; papatus, iniquitatis, perjurii, & odii in eccleſiam, illos in os increpuerunt.

Infamem Lumirium cauſidicus Cipeſteyn occulto in curiales odio ita impudenter defenderat, ut ab ſeditione, in magiſtratum pro tribunali ſedentem, perparum abſtineretur. Juſta indignatione, notavit ob id crimen illum Leonarthum infamia hac, quod ab cauſis ante tribunal ſuum dicendis ſcribendiſque eum removeret magiſtratus Mittelburgenſis. quia non placebat hoc Apollonio cum ſuis; ad preſ byterii dignitatem illum attraxit, ut ex eccleſiaſtico tribunali politicis Eccleſiaſtica cenſuratiq illuderet.

Organi Symphoniam recepto tunc more inter cultum continuabat magiſtratus. hoc quia non placebat Grallatori: cottidianis clamoribus ob illam & alias cauſas, ita pro concione tumultuatus eſt in rectores urbis, ut, dicteriis aperte perſtringi, modeſti dolerent; malevoli conjectis in curiales oculis, aperte riderent. quæ & alia (præ-

deceſ-

deceſſoribus Apollonii ignota)cum nuper ſanctitatis Apolloniane lacuna de novo exhalaverit;quis non videt mendacem,vel ſaltem ſurdam,cœcam, & ſtultam eſſe hanc vetulam, quæ perſuadere audeat,ſeptuaginta abhinc annis Mittelburgenſes & Walachros myſtas non aliter docuiſſe vel feciſſe, quã hodie docẽt & faciunt Apolloniani turbones.

Quis veterum myſtarũ ante ſeptuaginta annos ſcripſit? *arbitrium collectarum eccleſiæ convenire ; nec dependere ab ulla poteſtate extra eccleſiam.* nemo certe. qui ergo hodie Grallatorem hoc docentem, Claſſem Walachram approbantẽ,ac Vliſſing-anum defendentem audiat;annõ illic embryonem papiſticum intra teſtam Walachram videat?ac merito ſuſpicetur, ex tali ovo prodire poſſe Romanum Baſiliſcum?qui pecuniarium venenum exhalans,milites in principum perniciem poſſit conducere?Si enim ex Eleemoſynatis ſanctitatis jure Prædicatoribus Walachris licet alibi bis mille libras Flandricas, alibi quingentas,alibi trecentas,iterumq;,iterumque,eccleſiis emungere, & in ſacroſanctũ eccleſiaſticũ ærarium convertere;ſi ſolis miniſtris conveniat,remotis politicis profanis, eam pecuniam tangere,ac diſtribuere;quis fidem faciat,impurum pleonectam Walachrum ab ſacra pecunia manus ſemper abſtenturum? dum venereo Collybo, Simonia,aliiſque malis artibus aurum venetur; ac,ſi in ordinem dein cogere velit politicus,non declamando modo, ſed tandem militum & ſicariorum conductu ſibi & ſuis Spiritualibus libertatem non procuraturum? in Romano illo Cerbero nimis aperte id viſitur: qui primo catellus meliteus,dein matronarum donis, eleemoſynis & aliis inventis tam cito ditatus eſt, ac in tam horrendum canem

excre-

excrevit, ut nunc inferni mammoniſque cuſtos triceps, tam inſoporabili pertinacia principibus adlatret, ut nunquam tribus ſimul capitibus poſſint ſoporem inducere, ſed uno ſopito alterum ſemper ſuo commodo invigilet; non arte, ſed marte quoque jam metuendus. ſed de his alibi.

Pag. 34. 35. molle filum trahit, quo Walachrorum facta imperialia tegat. prætcritiſque aliis, arripit de miſſione epiſtolæ ad Anglos invitis Ordinibus. ac primo hoc tomentum adglutinat, *licuiſſe id Claſſi, quia privatis liceat*; ita delirans, acſi perinde ſe habeat, ſive privatus quid agat, ſeu provinciæ præpoſiti ac præfecti. quod diſcrimen aliarum provinciarũ Claſſes haud ignorantes, quieſcendo Walachrorum πολυπραγμοσύνην clam damnavere.

Sed inquit Clotho, *ſuppliciter orare non eſt contemnere*; immo (inquam) orare, & ſupplicando quod non impetraveris perficere, violentia eſt, & maximus contemtus unde colligo, iterũ mentiri hanc Parcam, cum ait, *atrocem calumniam eſſe*, quod ſcripſerim, *Walachros mandatum Ordin. de non mittenda epiſtola contemſiſſe*. Verum miratur, *qui Franekeræ notiſſimum mihi fuerit, Illuſtr. Ordin. Zeelandiæ ſuper hoc facto indignatos fuiſſe, & etiamnum hodie indignari, cum illos Zeelandiæ indigenas hoc lateat, & Ordinum benevolentiam adhuc experiantur*. Sciat *Torcuta*, benevolentiam illam Ordinum pietati tribuendam eſſe, non quod Ordinibus morigeri fuerint prędicatores. alioquin utcunq; à Walachris ſum ſemotus, non me latet, moleſtam fuiſſe tunc, atque etiam hodie eſſe Grallatoris aliorumq; ardelionum ſpiritualium pervicaciam; quam ſi gravibus momentis hactenus diſſimulent, non deſunt tamen qui ſeponunt poſthac graviter animadvertendi conſilium. Pag.

Pag. 36. pro D. Brandii cæca obedientia ita filificat, ut ſe Brandiumque ſuo filo involvat; fatetur enim, Eleemoſynare æs, de quo conſtat quod Vliſſingæ domatim fuerit collectum, non ſine ductu & arbitrio ampliſſimi magiſtratus à quodam miniſtro pro tempore aſſervatum, ad diſtribuendum dein traditum fuiſſe duobus Viris, qui ſpeciali jure ſancti non erant. Ex quo ſolo conſtat, temporum hominem tunc fuiſſe D. Brandium, qui (Grallatori quaſi mancipatus) Mittelburgi contendebat profanatum iri Hibernorum collectam, ſi domatim fieret, & ſolis ecclesiaſticis ſpeciali jure ſanctis non concederetur æris ſancti diſtributio. quid hoc aliud quam cæca obedientia fuit in Brandio? qui ſciebat ſe tractationem illius pecuniæ ut rem adiaphoram, & politicis communem, Vliſſingæ reliquiſſe.

Pag 37. pro Grallatore dein filificando laborat, aſſeritque non erraſſe vel contempſiſſe Politicos, etſi eos dixerit ratione magiſtraturæ nihili æſtimandos, vel pro viliſſimis membris in regno Chriſti. in quo delicto occultando fingit, Grallatorem duntaxat de regno Chriſti quod in cœlo eſt loquutum, nec aliud determinaſſe, quam qualis illic magiſtratibus præeminentia ſit ratione magiſtraturæ: quod certe Grallatori neceſſe non erat inquirere, quia conſtat, fidem & pietatem pauperis mendici in illo regno pluris fieri, & majorem eminentiam illic illi tribuere, quam regibus, prædicatoribus, & rectoribus eccleſiæ, quod in hoc mundo authoritate ſeculari vel eccleſiaſtica fuerint inſignes. ut dubium non ſit quin tacite hanc Parcam rideat Grallator; ut qui

norit

norit cœleſtis illius regni cura ſe nil vel parum tangi; ſed de terreno regno cœlorum ſe loquutum, quod in Conſiſtorio exercetur: in quo primum locum ſibi ipſi concedit cum prædicatoribus; ſecundum Senioribus, Diaconis tertium; Magiſtratui vero ratione magiſtraturæ *nullum*: quia, ut talis, *bioticus*, *mundanus*, *carnalis*, & non *in*, ſed *extra eccleſiam ſit*, vel *accidens ſeparabile* quod poſſit *abeſſe* vel *adeſſe*; cujus negotia adeo vilia ſint, ut *viliſſimis qui in eccleſia ſunt poſſint committi*; quibus ob mundanum illum reſpectum, cum impiis divitibus mundi, ne *ſedilis eminentiæ honos deferendus ſit* ſecundum apoſtoli doctrinam Jac. 1. 1. 2. 3. 4. &c. quæ & alia Grallatorem re ipſa in ſuos magiſtratus injurioſe effutiiſſe, quivis facile videbit, qui mentis oculorumque aciem ad ea intenderit, quæ in centonibus ſcripta reliquit. Part. 1. pag. 13. 14.

Pag. 38. ſimile filum liciare voluit pro ſuo Grallatore, quem oſtenderam malè docuiſſe, *ob minima delicta eccleſiam uti poſſe excommunicatione majore.* cujus ratio erat, dixerat, quia *ob res adiaphoras, quæ omnes minimæ ſunt, eccleſiam poſſe excommunicare*; quod vere Papiſticum & tyrannicum aſſertum eſſe docueram. ſed negat Vliſſing-anus res adiaphoras omnes minimas eſſe, quod adiaphorarum rerum alia major ſit altera; haud aliter delirans, quam ſi Pygmeos hominum minimos neget, quod hi quoque magnitudine inter ſe diſtent. etſi enim tranſgreſſiones legum eccleſiaſticarum de adiaphoris, ex eventu gradibus differre poſſint, quia tamen in ſe omnes minimæ ſunt, excommunicationem non merentur niſi quis ex mali-

malitia peccet; quod cum judicatu fere impoſſibile ſit, ideo talium legum tranſgreſſores in forma judicii ſtatim non ſunt cogendi, (ut vult Walachrus Rhadamanthus,) ſed inducendi potius ſunt monendo & exhortando, donec conſentiant. alioquin Hierarchico Grallatoris aſſerto ſemel admiſſo, habebunt eccleſiaſtici cenſores poteſtatem imperandi conſcientiis, & quaſlibet nugas imponent Chriſtianis, non laïcis modo ſed rectoribus ac principibus ſuis; atque adeo quæ Papa jam dudum fecit aperte & directe; illi facient per indirectas vias.

Reſpondet Clotho *ſe hanc conſequentiam non videre*.

Neque hoc mirum, cum ob ætatem cœca, nihil videat: Suadeo tamen, modo ſurda quoque non ſit, Mittelburgenſes ut conſulat, qui fidem facile illi fecerint, totius papatus rudimenta dictis factiſque illic apparuiſſe, ac nil fere Papas in principes ac reges unquam fuiſſe molitos aperte, quod Walachrus ille impoſtor in ſuos rectores non tentarit occulte; quod ex antedictis quoque conſtat.

Pag. 40. clamat dein; Lex Remnia, dormis? K *inuſtum vult fronti meæ*, quaſi jam calumniæ aperte deprehenſum teneat: quia Grallatori objeceram, *quod in miniſtris ſtatuat regimen abſolutum & αὐτοκρατορικόν: hoc dicit eſſe horribilem calumniam*.

Olim deliranti vetulæ genua perfrixiſſe ſuſpicabar: nunc ita incaluere ab hypocauſti nimio calore, ut meæ fronti minetur cauterium. ſed ab Romana meretrice ſumſit impudentiam calumni-

lumniandi, cum mea verba citans pag. 39. quæ addenda erant omittit. expreſſis enim verbis Grallatori objeceram, non abſolutum & αὐτοκρατορικὸν regimen; ſed abſolutum in ſe, & quodammodo αὐτοκρατορικὸν. quæ duo oſcitantia vel malitia omiſit. nec tamen de nihilo adjeceram: quia abſolute αὐτοκρατορικὸν regimen is proprie profitetur, qui ſtatuit ſe omnia poſſe pro arbitrio; quale regimen etſi aperte miniſtris non tribuat Grallator, eam tamen poteſtatem illis concedit, quam in ſe, ac quodammodo autokratoricam merito dixeris. nam ſi fideles (ut aperte ſcripſit) in ſingulis prædicatoribus debent conſiderare ἐπιταγὴν αὐτοκρατορικὴν *Chriſti in illis mandantis*, & pro libitu leges & mandata Chriſti poſſint interpretari; & illorum gloſſis quoque parendum ſit filiali ſubjectione; tunc, etiamſi nugas & ſua ſomnia in ſuggeſtu proponant, dicent ſibi abſolute parendum eſſe, nec quicquam deerit, quin hoc prætextu regimen in ſe abſolutum, & quodammodo αὐτοκρατορικὸν facile aſſequantur, ut in papatu res ipſa docuit.

Pag. 41. arripit meas notas ex Gral. pag. 285. ad locum Tit. 2. in quibus multa carpit ſuo more liciare filum volvens. primo Titum facit Apoſtolis Legatione parem; quos ego dixeram longe diſpares eſſe. ſed vide linificandi artificium! dicit *pares eſſe eſſentia legationis*, ſed *diſpares tantum circumſtantiis*: ut hic iterum nimis eſſentialis aut ſubſtantialis ſit, quaſi accidentium & circumſtantiarum hic nulla virtus ſit, cum hæ proprie rem diſtin-

Digitized by Google

ſtinguant, & toto cœlo faciant diverſam. nemo certe diffitetur, & Paulum, & Titum, & Grallatorem cum Torcuta,& Papam aliquid habere de communi eſſentia vocationis & legationis; ſed tamen quis non videt, in modo & circumſtantiis ita differre, ut longiſſime diſtent, & non eædem ſed diverſiſſimæ ſint.

Pauli ſola abſolute divina eſt, nec ab hominibus; neque per homines, Galat. 1.

Titi divina quoque, ſed mediata per hominem, ſed Theopneuſtum.

Grallatoris & Torcutæ, mediata & per homines,ſed non Theopneuſtos; imo forte,ut in Walachria fit, per fraudes, Simoniam, & humanas artes.

Papæ quoque mediata, ſed per Cardinales, Reges, Principes, Diabolum, per Simoniam, artem & Martem Hæ omnes vocationes etſi eſſentia conveniant quod vocationes ſint; tamen circumſtantiis ita diſcrepant; ut una ſit abſolute divina, altera humana quoque, ſed integra; tertia mere humana &.corrupta; ultima diabolica: ut jam periculum poſſit facere Clotho, an filificando, tam diverſas vocationes poſſit perducere ad identitatem vere eſſentialem quæ non ſit ridenda.

Secundo, ſua filificatione ſuperbiens ſtatuit (contra quam ego ſcripſeram) authoritatem Titi non fuiſſe majorem cum Apoſtoli ſupervivebant, & ad eos poterant provocare, quam cum mortui erant. in quo certe ridendam ſuam ſtultitiam prodit lanifica; quia, cum optime norit, Claſſis approbatione Grallatorem & Walachros id

id unice intendiſſe ut magis μετ' ἐπιταγῆς & cum *imperio* à Grallatore prodirent centonum figmenta, tamen hoc capere non poſſit; Titum cum majori authoritate tunc loquutum fuiſſe, cum apoſtoli in vita ſuperſtites, illius doctrinam, mandata & præcepta continuo poterant approbare; quam cum mortui eſſent. certe, hoc pro Walachro Grallatore contra Titum & Timotheum auſim dicere, ſi loco Claſſis Walachræ, quæ ex quadraginta prædicatorum capitibus conſarcinata dicitur, unus *Theopneuſtus* Paulus illic præſideret, qui omnes Grallatoris doctrinas ſua Syngrapha approbaſſet, & indies laudaret, majoris ponderis & authoritatis merito fore, quam doctrinas Titi quas loquutus eſt, poſtquam è vita deceſſerant omnes Apoſtoli. poterat tunc, fateor, niti illorum ſcriptis, poterat quoque narrare quæ apud illos viderat & audiverat, & aliorum teſtimonia adducere; quia tamen infallibilis non erat, ideo modus ille dicendi & docendi ſtatim erat inferior, & minus certitudinis ac authoritatis habebat apud Chriſtianos, quam cum Apoſtoli, adhuc vivi præſentes vel abſentes, omnes ejus doctrinas tacite vel aperte approbabant. cujus myſterii haud ignari veteres Papiſtæ; unicum Papam infallibilem judicem in terris ſibi finxere, qui approbando omnes Epiſcoporum & papulatum doctrinas, hoc illis tribuat, ut cum Tito loqui, exhortari, & corripere poſſint cum *imperio*; ea tamen lege, ut ſumma ſpiritualis imperii majeſtas, & infallibilis dictatura, ſemper maneat penes illum.

Tertio inutili digreſſione probat, Theologos

docere, verba Apoſtoli; *hæc loquere &c. cum imperio:* ad Titum non ſolum, ſed ad omnes hodiernos miniſtros etiam pertinere; & ſtulte quærit, *an mortuis & inconſultis apoſtolis non habuerint jus authoritatemque reprehendendi peccata homicidii, adulterii &c.* quaſi vero Apoſtoli intentum ſit, his verbis Tito præcipere, ut vulgaria tantum doceat quæ pueri & catechumeni norunt, vel ut ea ſolum cum imperio reprehendat, quæ ſevere poſſint corripere ipſi Barbari. ut nuſquam ita ſe ad nitorem componat hæc lanifica, quin lanam, linum, tomenta, & floccos ſemper circumgeſtet. ego hoc nuſquam inficior, hodiernis miniſtris jus eſſe authoritatemque arguendi ſcelera, immo ſingulis Chriſtianis id convenire aſſero; de modo correptionis tantum quæſtio eſt, & quis reſpectus cuique deferendus. etſi enim ſingulis fratribus id juris à Deo conceſſum ſit, ut fratres peccantes poſſint corripere, Levit. 17. etſi quoque hodiernis prædicatoribus ex ſpeciali officio incumbat ut ſedulo doceant, moneant, ac corripiant; non tamen propterea in perſona Titi illis conceſſit Paulus, ut quemadmodum Titus, illi quoque hoc faciant cum *imperio*: quia eccleſiaſticorum muniorum & politicorum diverſa eſt ratio: horum enim poteſtas unice ab vocatione vel ordinatione dependet; ut ſive apti vel inepti, bene aut male loquantur, cum imperio agant, & ſemper facienda ſint quæ illi jubent: vel fugiendum ſit, vel ferenda pœna quam volunt infligere: in Eccleſiaſticis vero muneribus ita ſe res habet, ut ab nuda ordinatione poteſtas non dependeat, ſed à donis, quibus inſtructi ſunt qui iis præficiuntur;

ciuntur; ut ſi ſtupidi & ignari male loquantur, illis credendum non ſit; ſi perverſe præcipiant, parendum non ſit; ſi injuſte pœnam velint infligere, ferenda non ſit; ſed illis, male & injuſte agentibus, reſiſtere conceſſum ſit à Deo ſi poſſibile ſit. adeo ut ſola Ordinatio muneris eccleſiaſtici non magis authoritatem dederit eccleſiaſtico, quam humana larva vivi hominis eſſentiam vel effectum contulerit. quia ut recte Calvinus monet in comment. ad locum Deut. 17. 10.11. Deus neminem omni poteſtate imperii in eccleſiaſticis pollere vult, ſicut ab ejus verbis neque ad dextram aut ſiniſtram recedi poſſit, *quin ſimul eum inſtruxerit ſpiritu intelligentia & rectitudinis, ne quam perverſam ſententiam proferat; quia abſurdum eſſet populum fruſtra & in perniciem obedire.* & in comment. ad locum Actor 23. 5. docens quomodo & quouſque politicis magiſtratibus, & eccleſiaſticis præpoſitis parendum ſit: reſpondet inter civiles magiſtratus & eccleſiæ præſules eſſe diſcrimen. *etſi enim*, inquit, *terreni & civilis imperii confuſa perverſaque ſit adminiſtratio: dominus tamen ſubjectionem vult ſalvam manere; ſed ubi ſpirituale regimen degenerat, ſolvuntur piorum conſcientiæ ne injuſte dominationi pareant, &c.* & laudant reformati locum Gerſonis in exam. doct. part. 1. quo aſſerit, *quemcunque hominem doctum poſſe & debere toti concilio reſiſtere, ſi videat illud ex ignorantia vel malitia peccare*; quod Jeſuitæ quoque concedunt verum eſſe, ſi per impoſſibile eccleſiam errare contingat; quod fieri poſſe omnes reformati credunt ac docent. unde conſtat merum papiſmum ſapere Torcutæ delirium, quo ſtatuit Tito datum eſſe à

Paulo loqui cum *omni imperio*, & hodiernis quoque prædicatoribus in illius perſona. fateor, Apoſtolum id Tito dediſſe; ſed cur dedit? nimirum quia dona habebat Titus ad tale imperium requiſita; non daturus certe qui dixerat, *nemini manus cito imponito*, ſi illorum donorum egenus atque inops fuiſſet. Unde nunc ſtatuendum eſt, Titum ideo ſolum ab Apoſtolo ordinatum fuiſſe, quia de illius aptitudine poterat judicare, & quia aptus & dignus erat qui cum *omni imperio* loqueretur. quod dicendi & corripiendi jus in eo conſiſtebat, ut Chriſtiani in illius doctrina non ſolum ſed quoque in illius perſona debuerint conſiderare ἐπιταγὴν Chriſti in illo loquentis ac mandantis, ejus ſermonibus ſe ſubjicientes non ſolum, quia veros agnoſcebant, ſed etiam quia is loquebatur, cui imperium & jus dicendi datum erat, quod ſolis Dei legatis convenit. quorum legationis forma & eſſentia in eo non conſiſtat quod vocati ſint, vel dona quædam habeant declamandi in ſuggeſtu: ſed quod dona legatorum Dei illis re ipſa inſint, & habere declarati ſint ab iis qui declarandi poteſtate pollent. quæ eligendi & declarandi poteſtas non dependet à nuda ordinatione, qua hi vel illi ad eligendum ordinati, neceſſariis donis inſtructi, & fideles ſint. hæc omnia in ordinatione Titi apparent. primo enim conſtat, talia Titi dona fuiſſe, ut univerſam doctrinam fidei atque morum ab Apoſtolo traditam exacte & ſine ullo errore tenuerit, & infallibiliter ac pure cum perfecta perſuaſione alios docere potuerit.

Conſtat deinde, Titi animum fidelem fuiſſe, pro-

pronumq; ac promptum ad ſerviendum Chriſto in omni fidelitate. conſtat tertio, Titum talem declaratum fuiſſe ab Apoſtolo Theopneuſto, qui ſpiritu diſcretionis pollebat, quique ad illum legatum Dei declarandum aptiſſimus erat, ob infallibilem ſcientiam, & fidelitatem incorruptam. Si hodie dona & requiſita jam commemorata, vel ſaltem æquivalentia, in vocatoribus & vocatis adhuc ſupereſſent in eccleſia, proculdubio pro Dei legatis agnoſcendi eſſent hodierni prædicatores; nunc autem cum in vocantibus & vocatis maximus ſit defectus, & qui donorum Titi nudi atque inopes non ſolum ſed ſtupidi & omnium fere ignorantiſſimi ſint, ac peſſime morati muneri prædicatorio ab eccleſiis preficiantur; quis non videt, hanc lanificam delirare, cum putet, hodiernis miniſtris quoque convenire ut tanquam legati Chriſti cum omni imperio loquantur, non alia ratione quam quod Tito ea poteſtas fuerit conceſſa. Quam grandiloquentiam didicit à Walachro ſuo Papula Grallatore; ille autem à Papa Romano Antichriſto: qui eo ipſo quod Petro Epiſcopo Romano dictum fuit, *Paſce oves meas*, ſibi ſoli, utpote Romano Epiſcopo & ſucceſſori Petri, illam ſupremam paſtionem ſumſit: Similiter Torcuta facit, quæ cum videat Tito jus loquendi & corripiendi cum *omni imperio* datum fuiſſe, ſibi quoque & infinitis aſinis id juris tributum eſſe cupit, eo nomine quod Titi ſint ſucceſſores. ut jam quivis videat in me ſalivare vetulam pag. 43. dum me *ſolum* hic ſaltitare extra reformatorum chorum clamat; ut contra nemo non poſſit videre, hanc lanificam, reformationis

oblitam, ad choream paparum & præſulum Romanorum ut proſtibulum ſe recepiſſe, inter illos reſtim ſaltitando ducens, tam effuſe, ut non genuum tenus modo inverecunde ſubſultans ſuam turpitudinem nudarit, ſed etiam incautius laſciviens obſcænum turpemque in morem, altiora detegendo, turpiſſime culminarit.

Sed inquit circulatrix, *interpretes ſaniores mandatum hoc, ut generale, ad hodiernos miniſtros extendunt.*

Neque id male; ſi modo quod ſoli Tito proprie dictum fuerit, non omnibus & ſingulis ut proprie dictum tribuatur. ſic enim dictum fuit Petro, *tu converſus confirma fratres tuos*; &, *paſce oves meas.* quæ præcepta ad omnes quoque extendi poſſunt, ea tamen lege, ut illud *paſcere* & *confirmare*, aliter competat Petro, quam Tito, Tito, quam hodiernis miniſtris, hodiernis miniſtris aliter, quam privatis fratribus.

Pag. 44. arripit convitiarium filum; & clamitat, *me reformatorum hoſtem eſſe, quod publicum prædicandi miniſterium coner ab eccleſia tollere paulatim.* & cur? *quia, ut delirat, publicam ſcripturæ prælectionem* illi præferam: quod filum ex Romano lino confectum eſt.

Papa ut prædicationem extolleret, lectionem & prælectionem S. ſcripturæ contemnit, & Chriſtianis interdixit ferro & flammis; ac nil æquè eum torquet, quam quod à ſcripturis ſemper dependeant reformati, eaſque diligenter legant: ut olim in Belgio parentes noſtri reformati nomen ſcripturariorum habuerint in opprobrium: horum mores hic imitatur Clotho; cum me vi-

det

det prædicandi negotium inter eccleſiæ primaria Choragia recenſere, & hoc laborare, ut ab hodierno contemtu liberatum priſtino nitori reſtituatur; quo nomine me Atheum, ac reformatorum hoſtem judicat, ut qui prædicationem paulatim exterminatam velim. mirum ni veterem Judaicam eccleſiam, Chriſtum, ipſoſque Apoſtolos tandem atheos, & reformatorum hoſtes faciat hæc Clotho, ſua Walachra filificatione, qui hanc maximi fecere: & ego merito prædicationem non magis contemnere videri poſſim, cum prælectionem Scripturæ publicam illi præfero; quam Torcutam Walachram prælectionem publicam ſcripturæ explodere, cum huic illam præponit.

Eſt certe in quo prædicatio publica plus valeat quam nuda prælectio ſcripturæ; in colligenda plebe & inſtruendo populo indocto, in explicandis & conferendis ſcripturæ obſcuris, in movendis affectibus, & in incitandis auditoribus; cum dicendi artibus ſæpe incitantur animi qui ad lectionem frigerent. Eſt tamen quoque in quo præferenda merito ſit ſcripturæ publica prælectio; quod purum & infallibile Dei verbum promat, quod ſemen fidei & origo eſt, & infallibilis omnis prædicationis menſura; neque ullius affectui ſubjacet. Si illa felicitate frueremur, ut Prophetas, Chriſtum, vel Theopneuſtos audiremus prædicantes, tum prædicatio prælectioni ſcripturæ ſimpliciter eſſet potior: ſed quia illuſtris ille prædicandi modus deſiit; hinc fit, ut hodierna prælectio ſcripturæ ſanctitate & certitudine omni prædicationi ſit præferenda.

Humana enim prædicantium ingenia ſæpe tam impura & corrupta ſunt (quod in Walachris illis prædicatoribus videre eſt) ut tanquam per fœtidos ductus ad nos derivent verbi divini purum liquorem, multa errorum pravorumque affectuum humanorum ſpurcitie inquinatum: unde non immerito in multis prædicationi hodiernæ prælectionem ſcripturæ prætuli, utramque tamen eccleſiæ ædificandæ utilem ſtatuens.

Veteribus noviſque papiſtis hoc commune eſt, quod prælectionem ſcripturæ non libenter in pretio haberi patiantur, quia enim à prædicandi jure & negotio authoritatem & commodum hujus ſeculi venantur; quidquid pro lectione ſcripturæ (tanquam omnibus communi) dicitur vel ſcribitur; quaſi commodo honorique ſuo adverſum, oderunt & execrantur: unde fere perſuadent incautis papiſtæ, cum Paulus dicit, *quomodo audient ſine prædicante?* &, *fides ex auditu*: non lectionem vel prælectionem ſcripturæ, ſed ſolam prædicationem commendari; quaſi hac ſola, non illa fides poſſit ingenerari: in quo turpiter fallunt; non modo enim audit verbum Dei, qui prædicationi attendat, ſed qui prælectioni publicæ intereſt, per quam auditu quoque fidem concipere, ac conſervare poteſt: immo privatæ ſcripturarum lectioni tantum tribuit Auguſtinus, ut in hac Deum ad nos loquentem audire nos aſſerat. ut ſuo tomento hic involuta ſit Clotho, quæ diviniſſimam quoque hodierni Choragii partem, prælectionem publicam ſcripturæ, infra hodiernam miniſtrorum prædicationem audeat deprimere, plus tribuens humano ac ſæpe corrupto ver-

verbo ſuo prædicatorio, quam puris & incorruptis Dei Eloquiis.

Pag. 47. & ſequentibus mirifice ſe verſat inter tomenta; & floccos quæritat unde filum ordiatur, ſed nihil invenit præter figmenta & ineptias. Primo fingit ſcripſiſſe me, reges atque principes in veteri teſtamento ſi Levitæ non eſſent potuiſſe *arcam geſtare, thus adolere, ſacrificare, atque adeo propria Levitarum negotia obire*; cùm tamen quibus mens non caligat videre poſſint, me ubiq; apertis verbis ſcripſiſſe, ea ſolis Levitis ita fuiſſe conceſſa, ut reges & politici ea tangere non potuerint ſine ſacrilegio; immo ne quidem ex condeſcendentia Levitarum; quos ſæpe monui futuros fuiſſe ſacrilegos, ſi ea regibus permiſiſſent. Unde nunc aſſero, ineptire hanc vetulam, cum pag. 48. ſcribit, me à genuino controverſiæ ſtatu deflectere, neque id probare quod probandum erat, hodierni Choragii & cultus publici negotia (nimirum *Scripturam publice prælegere, prædicatores mittere & vocare, prædicare, Sacramenta adminiſtrare, cenſuras exercere, leges eccleſiaſticas condere & promulgare, ſanctum as colligere & cuſtodire, diſtribuere, & alia*) hodie tam ſpeciali jure ſancta non eſſe, quam olim erant propria Levitarum & Sacerdotum negotia. In quo certe egregie delirat. Oſtendi enim in Grallis & alibi, negotia jam commemorata, Levitis & Sacerdotibus data & conceſſa quoque fuiſſe, ſed minime tam præciſo & ſancto jure, quin reges & politici qui Levitæ non erant ea potuerint obire. Erat enim illis licitum *publice in templo precari, Scripturam prælegere, eccleſiaſticos non minus quam politicos judices eligere, prædicatores cum libro legis ad docendum mit-*

mittere, Sacerdotes à Sacerdotio detrudere, ſacri ætis arcam cuſtodire, circumcidire, agnum paſchalem mactare, diſtribuere, & alia facere, quæ hodie habentur inter publica cultus negotia. hæc cum olim regibus & politicis ſub veteri lege licita fuerint, cur ea hodie tangere non poſſint ſine ſacrilegio? an Deus ea negotia in novo teſtamento magis ſanctificavit & ſeparavit ſic ut ab politicis tractari nõ poſſint quam ſub veteri lege? doceat hoc Torcuta cum ſuo Grallatore, quia illis id affirmantibus probandum eſt. Ego contra in Grallis & alibi oſtendi, omnia illa munia ſub Chriſto & Apoſtolis ſpeciali jure ſancta non fuiſſe, ſed veteres Papiſtas illa primum ſanctificaſſe ad Levitarum exemplare; non alio fine, quam ut inde honorem atque commodum ſibi acquirerent; ac tandem ex hoc figmento prodiiſſe magnum illud mundi miraculum, Papam Antichriſtum.

Pag. 49. 50. 51. & ſequentibus digreditur ad locum Hebr. 5. 4. quem dixeram in Grallis veteres & novos papiſtas non ſine inſigni impoſtura adduxiſſe, ut muniorum ſuorum præciſam ſeparationem & ſpecialis juris ſanctitatem ex eo ſtabilirent: in qua impoſtura pertexenda adhuc perſeverat Clotho, & gloriatur quaſi de re bene geſta: *quia* (ut ait) *Apoſtolus ad Iudæos hæc verba ſcribit, præſupponendo generale axioma quod prorſus incontroverſum erat apud illos; neminem ſumere ſibi ullum miniſtrandi munus in eccleſia, niſi à Deo ad id ſit vocatus.* quaſi cum inſana hac lanifica quoque delirarit Apoſtolus; quod volens oſtendere & extollere legitimum Sacerdotium Chriſti, hoc Judæis probarit,

falſo

falſo axiomate & illis ridiculo: neminem ſcilicet, ullum miniſtrandi munus aſſumere niſi à Deo ad hoc ſpecialiter ſit vocatus. tam frivola enim fuiſſet illa probatio apud Judæos, ut ſtatim ipſa experientia potuiſſet refelli: ducentis enim circiter annis (ut bene notat Calvinus) ante Chriſti tempus Sacerdotes ab Judæis & Romanis per vim fraudemque erant intruſi: prætèrea tenebant, in Judaïco cultu licitum eſſe ſine ſpeciali vocatione circumcidere, agnum paſchalem mactare, diſtribuère, in templo & Synagoga Scripturam publice prælegere, explicare, &c. quinimo & omnes Chriſtiani qui tunc vivebant certi erant, multos tunc temporis ſine ſpeciali vocatione publice docere, Sacramenta adminiſtrare atque ea facere, quæ hodie pro ſpeciali jure ſanctis habentur. quæ cum illi ſciverint & quaſi indubitata habuerint; qui fieri poteſt ut Apoſtolus ex tam incerto, immo falſo axiomate, veritatem & eminentiam illuſtris Sacerdotii Chriſti voluerit aſtruere?

Certe totus Apoſtoli diſcurſus procedit meliori & certiori via. præſupponit enim quod verum & Judæis notum erat; neminem munus authoritativum & quod Dei nomine obeat ſibi aſſumere, quin ad hoc illuſtri & legittimo modo à Deo ſit vocatus. oſtendit in Aarone id factum fuiſſe, atque ea ratione ex legittima Aaronis electione (de qua non dubitant Judæi) legittimum Chriſti colligit Sacerdotium, cum dein oſtendit, Chriſtum quoque legittime vocatum & inauguratum fuiſſe apertis Dei elogiis. quæ omnia in hodiernis mi-

niſtris

niſtris non habent locum; quia legatorum Dei defectum apud illos reperias in vocantibus, vocandi modo, & vocatis. hi enim legatorum Dei donis deſtituuntur, illi vocantium requiſitis ac privilegiis; & qui hodie adhibetur vocandi modus, infinitis fere corruptelis ſcatet; ut impoſſibile ſit à tam inperfectis & corruptis cauſſis prodire poſſe tam illuſtrem effectum: præſertim cum in ſacris his muniis non valeat hoc mundanum axioma, Cui datum eſt is habet, &, Qui habet ac poſſidet juriſdictionem, ſive aptus vel ineptus ſit, juſte vel injuſte agat, parendum. hæc Papæ Romani Theologia eſt; qui etſi mendax, & ſæpe per ſcelera occupat ſuum pontificatum; hujus loci perverſo prætextu ſuperbit, ac perſuadet incautis Chriſtianis ſibi in omnibus parendum eſſe; quia vocatus Dei legatus ſit. quem faſtum primo in Walachria auſpicatus eſt Grallator cum aliquot Walachris; & nunc ſtulta filificatione conatur pertexere Vliſſingana Clotho.

Sed inſtat; *ac nimis arrogans & temerarium eſſe ſcribit, à me omnes Theologos reformatos accuſari, quod notabilem hunc Apoſtoli locum corruperint, cum tamen* (ut ait) *nullam idoneam rationem adferam.* in quo aſſerto iterum aperte delirat hæc *Parca*, & revera veritatis parca eſt: quia nuſquam Theologos hujus loci interpretes accuſo, ſed Grallatorem & novos Walachros papiſtas; qui ſoli inter reformatos Antichriſti faſtu turgidi, poſt tot annorum reformationem papiſticum hoc dogma quod in eccleſia Romana Antichriſtum peperit, defendere audent, *hodiernum prædicandi munus publicum ſpeciali jure æque ſanctum nunc eſſe, ac olim fuit Leviti-*

cum

cum Sacerdotium. quod reformati Theologi non docent, ſed Papa Romanus verus Antichriſtus. Nam ut alibi monui, ipſe Calvinus non modo ſtatuit præfectum loci urgente neceſſitate prædicandi munus obire poſſe; ſed omnes Reformati Theologi quoque docent, & ipſe Grallator fatetur in conſiderationibus ad Angl. pag. 92, privatos quandoque verbum Dei prædicare poſſe, ſine vocatione. unde conſtat, hodierni cultus negotia reformatis tam ſpeciali jure ſancta non eſſe quam olim erant Levitarum & ſacerdotum negotia: quæ ſic à Deo erant ſanctificata & tam præciſi juris, ut ne ulla quidem urgente neceſſitate potuerint obiri quam ab Levitis & Sacerdotibus. immo volebat Deus illos cultus potius ceſſare, quam ut non fierent ab illis, qui iis celebrandis erant deſtinati, vel à Deo ſpecialiter vocati. unde merito ac non ſine evidenti ratione ſtatuo; omnia illa teſtimonia reformatorum quæ adverſus me ſalivat Clotho, non papiſtarum more, vel rigide, accipienda eſſe; ſed eo modo quo Theologi ſæpe ſolent, quæ de una aliqua re à ſpiritu ſancto expreſſe dicta ſunt, ad aliam toto genere diverſam ethice vel allegorice tranſferre. quod niſi ſtatuatur, videat Torcuta an inſignes & reformatos viros quos adduxit, à contradictionis crimine poterit liberare: eſt enim oppoſitum in appoſito (ut loquuntur,) ſi quis ſimul ſtatuat, publicum prædicandi munus aliquando à non vocatis obiri poſſe: & contra, illud ipſum munus tam præciſi & ſpecialis juris eſſe quam olim erant Levitarum & Sacerdotum negotia, quæ nullo prætextu quam à ſpecialiter vocatis poterant obiri.

obiri. ut certe, papiſtico ſuo lino manifeſte in-volutam, hic iterum detineam Walachram liniſicam.

Pag. 55. arripit iterum claviculare filum; & multum tomenti conglomerat; ut probet, claves Walachras eſſe veras Apoſtolicas; quas cum exſibilem, clamat me nullas agnoſcere, ſed omnes exterminare. ex papiſtarum agris iterum convertit hoc linum: illi plerumque jactant omnes ſuas nugas eſſe apoſtolicas, & antiquas, modo nomina antiqua ſervent: ac ſi multum mutata oſtendatur; probari volunt quo anno, quo loco, quibus authoribus & fautoribus mutationes acciderint. haud aliter Torcuta perpetuò exſibilat, non totum modo Walachrum Choragium, ſed ipſas imprimis *claves* eſſe illic *veras antiquas* & *Apoſtolicas*: quas cum inter ſcruta papæ tanquam profluvia abjicienda eſſe merito ſcripſerim, putat me omnes claves ſimpliciter tollere. ſed vide ſis venuſtam rationem! *Si Apoſtolicæ ſunt ſublatæ, ac Walachræ non ſunt Apoſtolicæ; tum nullæ ſunt hodie: aut quis alias dedit?* inquit: & multa ſimilia..

Vliſſing-anus certe ſuo more nimis generalis iterum eſt, cum claves nullas reperiri putet, niſi Apoſtolicas: unde ſequeretur quoque Papam Apoſtolicas claves habere; quia hic quoque claves jactat, ut infernalis claviger. quod ſi idquoque dem, Apoſtolicas hodie reperiri: ex prædictis facile viderit, circumſtantiarum adventu ita immutatas eſſe, ut eædem non eædem ſint cenſendæ: haud aliter ac ſi eandem numero clavem habeas, quæ olim à magno rege bene geſtata, magna Theſauraria aperuerit; quæ nunc tamen in impoſto-

poſtorum manus devenerit, ac tam rubiginoſi, adæſa ac diſtorta hodie ſit, ut nil minus quam clauſtra poſſit aperire, ſed omnes ſeras potius pervertendo, concluſa teneat quæ erant aperienda; & aperta, quæ erant claudenda: erunt certe eædem numero eſſentia vel ſubſtantia claves: & non eædem quoque erunt, quia officio uſuique ineptæ. Etſi non ignoret Vliſſingana Hecuba, quid ſit claves geſtare, & clavibus ferire; ad meretricis Romanæ profluvia revertar; quia de muliebribus ſordibus melius judicabit. fingat interulam, quam olim geſtarit caſta, puriſſima, ac honeſta matrona; mundam, nitentem, ac ornatam; non materia modo, ſed forma, decore odoreque inſignem: hac ſi deinde ſe involvat impura hyæna ac meretrix, & ſic abutatur, ut non modo attrita, lacera ac depexa ſit, ſed pure, tabo, & profluviis rigens, ſordibus inſectiſque ſcatens ac fœtida; quis eandem veſtem numero eſſe negabit; & tamen non eandem quoque eſſe merito tuebitur?

Unde nunc hodiernarum Clavium, maxime Papiſticarum, vitia metiatur. Erant certe ſub Apoſtolis divinæ, ac infallibilitate, authoritate, & miraculis, inſignes: cujus maximus donorum ſplendor cum Apoſtolis deceſſit: Manſit tamen poſt Apoſtolos eadem quaſi clavium veſtis; quæ licet illuſtri ornatu, tamen qualicunque forma non caruit; donec eam, falſitatis, ſuperſtitionis, tyrannidis ſordibus, quaſi meretricea gonorrhœa, prorſus contaminavit Romanus Antichriſtus; à quo deficiens dein reformata eccleſia, veſtem eandem pure taboque rigentem perpoliire, & ab ſor-

ab ſordibus purgare adnixa eſt. ſed non ubique pariter ab hoc profluvio mundarunt: præſertim in eccleſiis Heydelbergenſibus; quas olim reformationis primordiis à papiſmi contagio ſervaſſe conqueritur Cl. Walterus & alii; quod non modo ſpeciale tribunal illic erigerent eccleſiaſtici; ſed in illo ſedentes clavium jure ita abuterentur; ut Ciculum impoſtorem impurum Sodomitam, Politico magiſtratui ereptum dimitterent impunem; & graves inculpatoſque viros, nulla edita cauſa, ab cœnæ communione abſtinerent; cœnæque conſolatoriæ uſum (quem veteres *σύναξιν* vocabant) ad torquendas piorum conſcientias adhiberent: quod ex veterum reformatorum ſcriptis abunde oſtenderam in Grallis.

Has meretricis Babylonicæ ſordes nobis adhæſiſſe, poſt reformationis initia, merito dixeram, & nuſquam turpiores apparere quam in Grallatore ac Walachris: non quia clavium & cenſuræ aliquem uſum ſervent; ac ne quidem quod abſtentione ab cœna, ut adiaphoro inſtituto, Illuſtr. Ordin. decretis hodie utantur: ſed quia adiaphorum inſtitutum, pro ſacroſancto, ſpeciali jure ſacro, & ſolis eccleſiaſticis tangendo venditent; quo tamen ita abutantur; ut mendaci, blaſphemo, infamiæ ac ſcurrilitatis illic comperto miniſtro Grallatori, & ſeditionis perfidiæque notato cauſidico, liberum faciant prædicatorium, ſacramentarium, ac preſbyteriale jus: contra, non raro inculpatos & pios (quibus male volunt) præter jus faſque ſacris abſtineant, & omni injuſtitiæ genere infeſtent; haud aliter ac ſi non jam divinum cultuique deſtinatum eſſe negotium; ſed luſui explen-

explendiſque malis myſtarum affectibus accommodatum inſtrumentum: ut jam certe ad hoc filum ducendum cantillare velim Torcutam ;

Clavis Apoſtolica fuerat aſtralis,
Latio Catholica fuit infernalis;
VValachro-Sophiſtica, percontare qualis;
Qualis eſt Papiſtica, cupit eſſe talis:
Illa cœlo cludere vult obedientes,
Hæc in orcum trudere cupit immerentes.

Sed de his ſæpe in ſequentibus. Pag. 62. arripit filum de *eccleſia repræſentante*: quod inventum à papiſtis ſumſiſſe Walachros, ajebam: non ex ſcripturis. hoc ut diſſolvat, ex theologis reformatis profert nomẽ *repræſentantis eccleſiæ.* ego ex Scripturis id probari volebam. ad quod Torcuta nil quam ſalivam. Utantur Theologi nomine *repræſentantis eccleſiæ*: attamen à papiſtis hoc conſtat eſſe inventum, ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem. nec de ſolo nomine litigabam; ſed Walachris hoc convenire cum Jeſuitis dixeram; quod ad hierarchica figmenta hoc nomine abuterentur; quod eccleſiam repræſentantem facerent ex paucis & ſolis rectoribus ſine corpore eccleſiæ; *eccleſiam repræſentatam*, ex corpore eccleſiæ ſine rectoribus: ita ut illi ſint ſpeciali jure ſancti, ſpirituales, poteſtativi, ac nemini ſub Chriſto in eccleſiaſticis ſubjecti: corpus autem eccleſiæ, quod conſtat ex privatis & magiſtratibus, ſint oves, laici, communi tantum modo ſancti, immo profani & ſacrilegi ſi formaliter eccleſiaſtica tangere & tractare audeant: & multa ejus farinæ quæ non ex Theologis vere reformatis ſumſerunt Walachri, ſed in Vaticano ſomniarunt.

Pag. 64. Luridum iterum filum torquet de falſis meis calumniis, quarum nunquam obliviſcitur; repetit enim eadem, pag. 78. Et pag. 133 imprimis indignatur; quod ſuſpicatus ſim, viam ſibi ſternere Walachros, *ut vim Politicis inferant*; ac factis oſtendere, ſanctitatis principale *fundamentum illis eſſe in crumena, ubi Iuda quoque fuerat*: has clamat eſſe horrendas calumnias, quas ipſe coner extenuare, per *quaſi*; & velut illorum pœniteret, ad hæc elinguem me eſſe aſſerit.

Ex pappis conglomerat hoc filum Torcuta, & quanquam alibi mirifice frigeat, hic tam intemperate ſemper incaleſcit, ut non ſalivare modo ſed mordere conetur. ni edentula per ætatem ſit; quid facturam credas? ſi ab crocodilo & pſittachis habeat quod ſuperius inferiuſque mandibulum movere poſſit; næ per viſcera adactura vibices! ni mercenariam operam Mittelburgenſibus locaſſit Vliſſinganus, aut Grallatori Claſſiciſque commilitonibus id crimen adhærere ſciſſet; quid attinebat ſolam Lacheſin ſic tumultuari?

Falſus honor juvat, & mendax infamia terret,
Quem niſi mendoſum, & mendacem?

Sola eleemoſynaris ſanctitatis fabula, ab Grallatore & Walachris excuſa, docuit, ibi mirum anguem in herba latere. ſi enim ob mirandam ſanctitatem, terminorum, *à quem*, *ad quo*, & *per quem*, ſolis eccleſiaſticis, præſertim ſuperlative ſanctis, liceat, ſacram Eleemoſynarem *pecuniam* tractare; politicis vero (tanquam profanis & mundanis cuſtodibus) non liceat; & jus ac arbitrium collectarum, ſit penes ſolos eccleſiaſticos;

cos; quis non videt cito Grallatori adventurum inde commodum? ut jam non ex miniſteriorum venditione habeat vacuos abacos; aut ex connubiorum Collybo, inanes pateras; ſed ſæpe cenſum ab eccleſiis colligendo, & diſtribuendo, eas ſacro eleemoſynari ære inferciat. hoc jure ſi non is modo, ſed quiſque ſanctus myſtes, ita utatur; ut ex illo Sacro ære in immenſum diteſcat; quis non videt facile accidere poſſe ut agmine facto, ſacroſancti illi eleemoſynarii, in politicos profanos irruant; præſertim ſi in eleemoſynaris æris collectam diſtributionemque velit inſpicere magiſtratus? an non accidat facile ut Grallatori ſimilis ſpiritualis, hoc profanis politicis interdicat? ac quaſi perjuro manus abſtinere præcipiat? ibi ſi parere nolit princeps, ſed ad vim prorumpat contra id falſum eleemoſynare jus eccleſiaſticum: vappa ſit, qui tam humilia ſentiat ab ſpiritualibus harpyis, ut ſuo juri quicquam velint cedere: præſertim ſi pecunia, nervo belli, hoc Eleemoſynari prætextu abundent; ad arma potius concurretur: niſi ſplenem habere muſcas, aut his formicis bilem ineſſe dubitemus. *Si hoc ita eſſet, quovis ſupplicio digni eſſemus,* inquit Torcuta.

Mirum ni cœca ac muta per ætatem ſit! quæ non reſcierit illic publice acta; ubi cum pauculis ſubſignanis Grallator, auſus eſt illuſtriſſimo Magiſtratui Mittelburgenſi, dicto ſcriptoque litem intentare; & omnibus diaconis præcipere, ne in colligendo eleemoſynari ære manum politicis præberent; etiam contempta hibernorum innumerorum jactura, quis grandia non metuat ab ta-

 libus

libus hierarchis Walachris ? quos mercenarios adhuc, & apud Mammonem deſpectos, ſola ſpiritualitatis fuligo ita inceſſerit.

In Papa Romano exemplum ſemper intueri velim noſtros principes; is initio eleemoſynarum cuſtos, tanquam imbellis columba unguibus videbatur carere; ſed tandem matronarum donis eo provectus eſt, ut vel Ameiani Marcellini tempore ſub Juliano, *lectica & bigis vectus, regias menſas aleret*: ad poſtremum, inſanorum principum beneficio, indulgentiis, annatis, & ſimilibus inventis, tam reformidabilis factus eſt avis; ut non dynaſtis modo ſudorem & ſanguinem ſpecie religionis expreſſerit; ſed bello & armis ſæpe exigeret, quod primo precibus ſolebat obtinere. quid mirum ſi idem de Walachris metuant Chriſti columbæ, quæ videant, ex Romano illo cuculo, ſimili pullatu, talem prodiiſſe, qui nunc velut *Accipiter volucres pedibus circumvolat uncis*. nemo credat abſurda me vaticinari dum ſanctitatis fundamentum in crumena eſſe ſuſpicor, ut Judæ, qui videat, Grallatorem illic Mittelburgi, ex miniſteriis, connubiis, eleemoſynis & factionibus aurum venari, & tanti facere culinarem ac Cerealem ſpiritualitatem, ut ſuis dependentibus Iudis famem minetur, ni bene ab ſe dependeant; quod ex litteris patebit, quarum exemplare mox edam.

Sed excipit Clotho, *à ſpecie ad genus me male concludere, & hoc nil ſe attinere, & pios Walachros; ſi aliqui male agant*. Id quoque non inficior; unde me ſæpe monuiſſe viderat. ſed quia pro pio Grallatore tam ſerio ſilificat Vliſſing-anus, ut ſuperos

ros inferoſque teſtetur pro Walachra ſanctitate; præſertim dum ipſe ex Claſſis Walachræ apographo oſtendit, totam Claſſem Grallatori concalculares eſſe; quid aliud ſuſpicere de Grallatoria cohorte?

Quam videt omnis ibi domus, & vicinia tota,
Introrſum turpem; ſpecioſam pelle decora.

Pag. 66. & 106. 108. legatarium iterum filum torquet, pol colore leucophæum, ac murinum. *Negat ſe jactaſſe quod legatus Chriſti eſſet, ſed dixiſſe tantum fatetur*. Papæ! ſubtilitatem fili! quaſi dicere non ſit, niſi ex ſuggeſtu proclamare: ego certe jactare eſſe aſſero; ſi quis dicat ſe legatum eſſe regis, qui tantum ejus tabellarius ſit: vel ſi centurionem ſe dicat gregarius miles.

Sed hic gloriatur, me pennis undique ſeptum, latebras circumſpicere; quia hoc jam conſtare putet, me omnibus piis ac reformatis myſtis convitium feciſſe; cum ſcriberem, *pœna dignum mendacium eſſe, ſi quis hodiernorum miniſtrorum ſe legatum Chriſti dicat*; ac oſtendit, nomen *Legati* & *Apoſtoli* hodiernis prædicatoribus concedi à Theologis, quos operoſe quoque citat. quaſi de nomine tantum, non de re ipſa quæſtio ſit! nunquam certe verbis male dixerim ſi rem bene ſubſequantur: uti ergo Apoſtoli titulum improprie hodiernis miniſtris tribuunt Theologi, ſic quoque legati nomen. ea certe vere legatorum Dei eſt conditio, ut loquantur cum imperio, & illis loquentibus credendum ſit, præcipientibus obtemperandum; non tantum reſpiciendo ad verba quæ dicuntur, ſed ad perſonam quæ loquitur, ut deflectere ab illorum ſtatutis & mandatis non ſit li-

citum ad dextram vel ſiniſtram. quod certe magnum eſt imperium; & hodie ulli prædicatori convenire nemo dixerit, niſi papiſmi fermento totus inquinatus, cum novis Walachris papiſtis Antichriſti faſtu quoque turgeat. ut enim ex Calvino alibi retuli, nulli hominum à Deo illa authoritas unquam conceſſa fuit, *quin ſimul Spiritu intelligentiæ & rectitudinis eum inſtruxerit, ne quam perverſam ſententiam proferret, quia abſurdum eſſet populum fruſtra & in perniciem deo obedire.*

Sedinquit Torcuta, *non eſt neceſſe ut Dei, vel Chriſti legatus ſit infallibilis.* Sed contra, infallibilem eſſe neceſſe eſt, ut Apoſtoli primarii Chriſti legati fuere; vel tales ſaltem eſſe oportet, qui univerſam doctrinam ſalutis hoc eſt fidei ac morum infallibiliter ac ſine ullo errore tradere poſſint, quique tales eſſe legitime à Deo declarati ſint, mediate, vel immediate, quales Apoſtolos, Titum Timotheum & alios fuiſſe certum eſt.

Vliſſing-anus hoc filum ita torquet; *quotieſcunque,* inquit, *à Chriſto vere miſſus, infallibile Chriſti verbum ſecum fert, & eccleſiæ fideliter proponit, pro vero Chriſti legato agnoſcendus eſt, ſecundum hæc dicta Chriſti, qui vos audit me audit, & ſicut me miſit pater ita & ego mitto vos &c.*

Vbi primo quæram, an qui hodie vocati ſunt miniſtri, illuſtri legatorum Dei vocatione ſint vocati; præſertim cum in Walachria nimis notum ſit, ab domus, agelli, conſanguinitatis, politici vel eccleſiaſtici beneficii, aut pecuniæ pretio, fere prodire miſſiones miniſtrorum: quod ex Grallatore poterat noſcere Torcuta, an hi omnes a Chriſto miſſi ſunt; cum Simonis magi potius,

tius,quam Chriſti inſtituto,tales miſſiones fiant?

Secundo quæram, ut quis infallibile verbum Chriſti ſecum ferat; an ſufficiat ut biblia ſub alis geſtet, & quovis modo in ſuggeſtu declamet, ſcripturas explicet, applicet, bene vel male, ac pro arbitrio & affectibus? certe hoc agunt & profitentur quotquot hodie ineptiſſimi etiam aſini prædicandi munus ſibi audent arrogare; quinimo & ipſe Papa Romanus, & omnes ſacrificuli in papatu, hoc faciunt ac profitentur; & Chriſtus phariſæis & ſcribis quoque id adeo proprium fuiſſe teſtatus eſt, ut vel eo ſolo nomine voluerit audiri, non tamen ut Deï legatos & cum imperio loquentes, ſed in iis tantum quæ bene docebant; monens ut in cæteris illos fugerent ac vitarent, tanquam cæcos ductores cæcorum.

Tertio quæram, quinam hodie fideliter eccleſiæ hoc proponant? an qui quovis modo pro ingenii ſui modulo hoc agunt? in ſuggeſtu humanis donis declamant, tumultuantur, & ſcripturas quovis modo explicant, detorquent, perverſe applicant pro animi affectibus ac furore? hoc ſi Torcutæ legatum Chriſti agere eſt, ac Chriſti verbum eccleſiæ fideliter proponere: næ Timotheo non ſolum & Tito, ſed ipſis Apoſtolis Illuſtriores Chriſti legatos facile dixerim hodiernos miniſtros; quos non raro ita docere conſtat ut nunc dixi, & in Grallatore res aperta eſt, nec non in noſtra Vliſſinganu: quæ etſi dea eſt & totius Claſſis Walachræ flos cenſetur; quis tamen magis temulentam ac mendacem lanificam unquam vidit?

Qua Walachros Corvos ſequitur teſtaq; lutoque.

Fateor Chriſti verbum infallibile eſſe, ſed hoc dubitatur quis id infallibiliter ferat hodie: ut certe magna attentione opus eſſe Chriſtianis aſſeram, quo ſpiritus probent, atque ea quæ in ſuggeſtu eccleſiæ proponunt prædicatores: cum nemo tam infallibiliter hodie infallibile Chriſti verbum prædicet, quin facile (ut in Walachris videre eſt) ſuum fermentum, vel incaute, vel calide admiſceat; ut, ſi pro legato Chriſti is maxime cenſendus ſit qui Chriſti verbum infallibile puriſſime ad nos ferat, prælector ſcripturæ eo proxime accedere cenſendus ſit: is enim, ſi bonum codicem habeat, & bene legat, (quod facile poteſt) optume & puriſſime Chriſti verba ad nos loquitur; quippe qui à Chriſti verbis raro deflectit legendo, quod ſæpiſſime facit myſtes prædicando: ut jam hic reſtim texat Lacheſis, quo collum ſtringat legatariæ ſpecialis juris ſanctitati: cum jam videatur, ad dignitatem veri legati neminem, vel ex veriſimili, quam lectorem, maxume accedere.

Sed abſurdo me urget; *quod magiſtratui tribuam nomen veri legati, quem conſtat infallibilem non eſſe; unde inſerre nititur, me majeſtatis quoque reum fieri, quia magiſtratibus legati Dei nomen audeam tribuere.* ubi non animadvertit inſulſa lanifica, ex aliena & politica area ſe hoc linum arripere, ac ignorare diſcrimen quod eſt inter reges, & Spirituales Dei legatos: illi enim ſub Deo imperium exercent, non ſolum quod donis inſtructi & legittime vocati ſint, ſed quia ſimpliciter vocati, ac quovis modo apti vel inepti jus gladii poſſideant, & in ea poſſeſſione ſe tueantur; quos cum pro ſuis legatis & vica-

& vicariis Deus agnoſcat, ſola hæc Dei voluntas & ordinatio tales facit . in ſpiritualibus autem legatis res aliter ſe habet; hos enim Deus nuſquam pro legatis ſuis agnoſci cupit, quam qui legitimo modo vocati , & legatorum Dei neceſſariis donis ſint inſtructi. unde videat Torcuta, non eſſe crimen, quod magiſtratus fallibiles ac ſæpe per vim & fraudes vocatos , legatos & vicarios Dei dicam ; maximum vero crimen læſæ majeſtatis admittere Walachros impoſtores, qui Illuſtri vocatione legatorum Dei & neceſſariis donis deſtituti, ſe equidem legatos Chriſti glorientur. Liciaria dein fila interjicit varii coloris. quæ ſparſim excutiam. Pag. 68, quia dixeram, omnes Chriſtianos cum Chriſto unctos , Spirituales reges eſſe, quibus mundanum imperium interdixit Chriſtus, quærit ſtulta, an ergo regium munus Chriſtianis ſit interdictum? Niſi cæca eſſet, vidiſſet facile, omne mundanum imperium Chriſtianis interdictum eſſe in quantum ſpirituales reges ſunt; & peccaſſe propterea Ioannem Bucholtium Monaſterii, & male facere Papam Romanum , & Grallatorem Mittelburgi, qui ſub ſpiritualis regni larva mundanum, immo omni mundano majus affectant imperium; in quo ſe Antichriſtos quoque produnt. Poſſunt ergo qui ſpirituales reges ſunt mundanum imperium exercere ſi mundanis & ordinariis mediis ſint electi, vel in ea dignitate nati poſſunt quoque ſine ſacrilegio Uſæ & Uſiæ, Eccleſiaſtici Choragii externa ſimul tangere; quia Chriſtiani, Spirituales Reges, prophetæ, & ſacerdotes cum Chriſto uncti ſunt.

Pag. 70, Buxeum filum ducit & ſtercorarium, quaſi

quaſi Walachrum papatum, & fictas ſanctitates, male ſtercori compararim, ut Malachias olim Iudaicas. cultus coruptelas. Mal. 1. Reſpondet Clotho. Malachiam id merito feciſſe, quia omnes circumſtantias cultus obſervabant, ſubſtantiam negligebant. in quo iterum mentitur & delirat Torcuta; quia ex textu conſtat, ſi quid cæcum, claudum, mutilum, aut raptu acquiſitum erat, deo offerebant tanquam verum ſacrificium. pari pacto Walachri impoſtores, vocant quidem prædicatores, ſed per fraudem & ſimoniam; declamant in ſuggeſtu ac docent, ſed fallibiliter, ac ſæpe ſeditioſe & injurioſe in ſuos magiſtratus; diſciplinam exercent, ſed non raro tyrannice, ac ut expleant pravos animi ſui affectus; quæ cum ſæpe ita agant, quis merito ſpeciali jure ſacra illorum, ſtercoribus non compararit cum Malachia?

Pag. 72. ad Ineptias progreditur, quarum pleraſque ſilentio præterit; & ſolutionis uberioris vice apographum claſſis opponit, haud diſſimili figmento, ac olim fingunt poëtæ, Perſeum objeciſſe hoſtibus ægidem, ſerpentino Meduſæ capillitio formidabilem: niſi quod illud terriculamentum in ſaxa mutarit homines; hoc vero nil ſimile poſſit efficere, niſi apud feminas & ſtupidos δεισιδαίμονας. unde ipſa Clotho huic filo ut fragili non multum tribuit: ſed alterum carpit ex ſecunda ineptia.

Pag. 73. dixeram, ex loco inſigni 1. Cor. 15 conſtare; Chriſtum mediatorem exaltatum in novo teſtamento poſſidere omnem poteſtatem & thronos in cælo & in terra: quod imperium mirando & adorando myſterio ait Paulus patrem depoſ-

depoſuiſſe, & Chriſto exaltato contuliſſe, ut poſſideret ad finem mundi: unde colligebam, hodie futile eſſe quod garriunt Walachri, Eccleſiaſticam poteſtatem differre authore ab politica, quaſi hæc à deo patre creatore, illa à Chriſto mediatore exaltato prodeat: cum conſtet, Chriſtum exaltatum omnis poteſtatis poſſeſſorem, utramque hodie immediate donare ac conferre.

Quem laqueum volens diſſolvere; opponit ſe adorando myſterio Pauli, aſſeritque, patrem non depoſuiſſe imperium ἁπλῶς *ſimpliciter*; papali more ſacroſanctis Dei oraculis illudens, ubi Walachris commentis obſtent, frivola diſtinctiuncula; qua tamen nil magis proficit, quam ſi volitantes pappos in filum ducat: quomodocunque enim hæc accipiantur vel ſimpliciter vel ſecundum quid; conſtat, Chriſto mediatori exaltato à patre datam eſſe omnem poteſtatem in cælo & in terra, ac in omnia & in omnes; ſolo patre excepto, ut Paulus loquitur, & proinde omnem poteſtatem politicam & eccleſiaſticam, in uno Chriſto (ut ita dicam) nunc concentratam, ab eodem quoque Chriſto exaltato immediate emanare.

Vt certe ridenda ſit annoſa hæc filifica, quæ putat, poteſtatem de qua Paulus hic loquitur, eamdem eſſe de qua prov. 8. 5. per me regunt reges &c.

Hæc enim poteſtas æterna, nunquam in tempore Chriſto data fuit, neque unquam illam deponet, vel patri tradet.

Sed inquit Vliſſinganus, *Quî Paulus invocat patrem,*

patrem ſi imperium ſimpliciter depoſuit? & ſi die ultimo Chriſtus hoc ſimpliciter deponet ac patri tradet, qui dicitur quod regni illius non erit finis? Reſpondeo, id fieri quia pater imperium ſuum filio quidem tradidit, non ita tamen ut orioſus in cælo ſedeat; ut nec ipſe filius ocioſus fuit priuſquam illi pater ſuum regnum tradidiſſet, ac ne ipſe ſpiritus ſanctus quidem, qui cum patre & filio eſſentia unus Deus eſt. pari pacto ergo Chriſtus quoque patri quidem tradet in fine ſeculi imperium quod à patre accepit, nec tamen propterea illud, quod ab æterno apud patrem poſſedit. unde recte dicitur, quod *illius regni non erit finis.*

Objeceram Grallatori furenti pag. 167, nil ineptius dici, quam eccleſiaſticam poteſtatem à politica differre effectis; idque eviceram duabus rationibus. primo quod à magiſtratibus piis produci poſſint, cum ſpeciali jure ſancta non ſint. ſecundo, quia ſynodorum decretis & ſtatutis id ratum quoque ſit in noſtro Belgio. quæ poſtrema verba non nominatim de prædicatione & ſacramentorum adminiſtratione ſcripſeram, (ut Torcuta delirat) ſed indefinite de effectis eccleſiaſticis, reſpiciendo ad ea quæ ſynodorum decretis politicis ſunt conceſſa, ut cuivis legenti facile patebit. ad hæc tumultuatur Vliſſinganus pag. 77; ſcribitque, prodigioſam hanc eſſe impudentiam: & de prædicatione verbi ac ſacramentorum adminiſtratione nominatim probari cupit; magiſtratibus conceſſam eſſe ſymodorum decretis. quaſi de omnibus, vel de his nominatim dixerim, neque Grallatori & Walachris alia ſint ſpeciali jure ſacra quam hæc duo. cum non

ignoret

ignoret Torcuta, illis quoque ſpeciali jure ſacra eſſe, imprimis *electionem & vocationem miniſtrorum; cenſuram majorum; nomotheticam; Eleemoſynare negotium* &c. quæ formaliter politicos cum eccleſiaſticis obire, ex ſynodorum decretis conceſſum eſt. in Zeelandia enim, ac inprimis Mittelburgi, magiſtratus ex uſu & decreto ſynodi, cum præſbyterio, vocat; cenſuram exercet; ſeu de ea deliberat ac ſtatuit; et Eleemoſynare æs colligit ac diſtribuit; aliaque formaliter tractat cum eccleſiaſticis, quæ Grallator ſpeciali jure ſacra ſcripſit. ut certe neceſſe non fuerit, ſic tumultuari hanc vetulam; vel probari peteret, prædicationem, & ſacramentorum adminiſtrationem, politicis ex ſynodorum decretis conceſſam eſſe.

Pag. 77. & 78. Ineptiam ſeptimam, octavam, & nonam callide præterit: Pag. 78. 79. 80 & ſequentibus iterum ſtomachatur, quod maledicam Walachris quaſi novatoribus, & novis papiſtis; cum nil doceant quam quod ante 70. annos in Walachria; *ac nulla vel minima illic conſpiciatur mutatio.*

Quis credat tam mendaces eſſe Deas in Walachria? ut quod ante 70 annos actum ibi ſit, probe teneant, cum contra quod ante pedes hodie ſit ignorent.

Quis ante ſeptuaginta annos in Walachria inter reformatos audiverat tot formaliter eccleſiaſtica, quæ nec totaliter, nec partialiter, hodie politicus tangere poſſit, ſine ſacrilegio Uſa? Eccleſiaſticos eſſe ſolos ſpeciali jure ſacros, poteſtativos, authoritativos, in quibus conſi-

deranda

deranda ſit poteſtas Chriſti autocratorica.

Quis Aſtralem ſanctitatem Eleemoſynarem per ſomnium audiverat, qua ſolis eccleſiaſticis colligere et diſtribuere liceat Eleemoſynas, ob terminum à quo, ad quem, & per quem.

Quis ante 70 annos vidit Claſſem VValachram, Ordin. Illuſtrium mandata contemnentem?

Quis Grallatorem cum ſibi ſimilibus VValachris audivit in VValachria Magiſtratum ab ſuggeſtu ita turpiter conviciis proſcindentem, quaſi populum in eos concitare vellet, ob organi cantum & res adiaphoras?

An abhinc 70. annos ab ſuggeſtu declamavit illic, mendax, blaſphemus, & ſcurrilitatis convictus Grallator?

An illic tam diu, miniſteria, connubia & presbyteria vendidit?

Quis in Cathedra presbyteriali ſedentem illic vidit cauſidicum infamia notatum; ut illuſtri illic magiſtratui illuderet?

Miſer illic fuit magiſtratus, ſi 70 annis ab talibus miniſtris afflictus fuit, ut certe condonandum ſit marinæ ac phlegmaticæ anui, quod fuſo coloque adligata, tam inſipida ſemper ſit, ut hoc diſcrimen non videat in doctrina, diſciplina, & moribus eccleſiaſticorum, quo paulatim non modo, ſed magnis paſſibus, ad papatum omnia vergebant. Pergit filificare Torcuta, & negat

pag.

pag. 81, hierarchiam Grallatoris & novorum papiſtarum ad veterem papiſmum ſe habere ut puerum primo natum ad virum adultum; *Sed tota eſſentia diſcrepare* (ait) *ut uſum & abuſum*; *quia diſciplina in Zeelandia* (inquit) *exercetur juxta normam divini verbi, in papatu vero merus hierarchiæ ſit abuſus.* mera ineptia! ſi enim diſciplina Zeelandica (*cujus cognitionem & arbitrium ad politicos illic pertinere conſtat*) dirigitur ſecundum normam verbi Dei, veruſque (ut loquitur) diſciplinæ uſus ſit; qui ergo verus diſciplinæ uſus non abuſus erit Apolloniana ac nova Walachro-papiſtica? quæ à veteri Walachra recedit; ac ad veterem papiſticam accedens, antiquam Walachram hierarchiam ut ſacrilegam ab reformatis eccleſiis exterminatam cupit. notum enim eſt, totum illud hierarchiæ Apollonianæ ſpecialis juris ac ſanctitatis commentum eo tendere, ut non ſecundum veterem Walachræ hierarchiæ morem eccleſiaſtici cum politicis paſtores vocent; majorem cenſuram, & nomotheticam exerceant, vel Eleemoſynare negotium ſimul procurent; ſed ut papali more ſoli eccleſiaſtici hoc agant; politicis ſub ſacrilegii pœna remotis: ut hinc evidens ſit, Grallatoris hierarchiam novam à veteri Walachra deficere ad falſitatem & abuſum papalis hierarchiæ, & gradu tantum differre, unamque in alteram tam facili converſione tranſmutatum iri, quam lendem in pediculum, vel infantem primo natum in adultum virum; unde nec immerito Apollonianum illum cenſurandi modum ſeu uſum clavium ab eccleſiis exterminandum dixi, quia hoc unice intenderet, ut de novo in Eccleſias Belgicas

introduceret Eccleſiæ Romanæ matris impuriſſimas ſecundinas ; quas hierarcharum quorundam faſtu atque niſu reformatis eccleſiis jam inde à nativitate tam firmiter adhæſiſſe conſtat, ut non niſi difficulter ab iis potuerint liberari.

Vt certe delira ſit Vliſſingana Clotho , cum pag. 82. 83. & ſequentibus aniliter contendit, Apollonianum hoc cenſurandi commentum ab ordinibus & eccleſiis receptum eſſe in noſtro Belgio ; cum contra res notiſſima ſit, conceſſiſſe quidem Ordines eccleſiis Belgicis illum cenſurandi modum qui per abſtentionem à cæna exercetur , nec tamen propterea ut ſpeciali jure ſanctum & eccleſiaſticum ex inſtitutione divina , ſed ut rem & cauſam adiaphoram , cujus cognitio , examinatio , & determinatio , ad eccleſiaſticos non modo, ſed ad politicos quoque poſſit pertinere. Quo facto Illuſtres Ord. profluvia Romanæ meretricis non reſorbuerunt , ut Torcuta ſtulte filificat pag. 88 , ſed ab eccleſiis proprie exterminarunt ; permittentes duntaxat hunc ritum adiaphorum in eccleſiis Belgii. de quo merito ac libere ſemper inter reformatos dubitatum fuit an humani vel divini juris eſſet ; aliis hoc, aliis illud libere aſſerentibus , ſine ulla hæreſeos ſuſpicione. Nam quod ait Vliſſinganus, *Ordines Catechiſin recepiſſe, quæ hunc cenſurandi ritum quoque continet* ; anile delirium eſt, quia Catecheſin & ritum hunc ſic approbarunt Ordines, ut Helveticis aliiſque eccleſiis nec odium nec bellum indixerint tanquam hæreticis vel heterodoxis , qui hunc cenſurandi ritum non admittunt , ſed cuivis liberum relinquunt, *ut eo utantur pro tempore* ,

ſtatus

ſtatus publici ratione, & prout neceſſitas requirit, ut habet confeſſio Helvetica;à qua, ut pote veteri, Reformata,& orthodoxa, certū eſt Illuſtres & præpotentes Ordines nunquam decedere voluiſſe; quod tamen hæc Torcuta nititur perſuadere. Sic inquit ſtulta pag 85. *Si in Helvetia aliquis turbo oriretur, qui contenderet, Eccleſias illas eodem modo gubernandas eſſe, quo eccleſiæ Belgicæ, num putat Grallator furens, eccleſias illas in ejusmodi turbonem non acriter fore animadverſuras? ſic quoque ferendus non eſt Grallator furens, qui turbas excitat, quia nolunt eccleſiæ Belgicæ eccleſiaſticum regimen ad ejus beneplacitum mutare, et ſe Helveticis eccleſiis conformare* &c. Quæ mera & anilis ſaliva eſt, quam ita quoque ſalivat ut me conſpuere volens, ſe ipſam & omnes Walachros novatores contaminet. Primo mentitur & veritatis parca eſt hæc filifica, cum ait me ab eccleſiis Belgii remotum velle ritum cenſurandi, qui per abſtentionem à cæna peragitur. disjeci hoc Torcutæ mendacium in Grallat. furent. pag. 110. &c. Secundo tam inſulſe convitiarium hoc filum ducit, ut nimiam lini copiam arripiens reſtim torqueat quo ſe ſuoſque Walachros turbones ſtrangulet. ſi enim vera ſunt quæ ſtatuit, & animadverſione dignum fore in Helvetia, qui illic Helveticam hierarchiam vellet pervertere; quis nunc non videt, vel hac filifica judice, omnibus diris & plagis dignos eſſe ſeditioſum Grallatorem Walachrum, ſtultam Walachram Torcutam, ac Walachræ claſſis novatores ac turbones, qui rebus omnibus in Zeelandia pacatis & tranquillis, 70. Annis poſt reformationem, deleta illic primum veteri hierarchia, novam & papalem

 ſcrip-

ſcriptis , dictis , & factis , politicis & eccleſiæ conati ſint obtrudere, tanto faſtu, ut novæ hierarchiæ jure magiſtratibus ſuis non modo, ſed ipſis ordinibus auſi fuerint illudere; quod jam ſæpe oſtendi, neque hactenus potuerunt refellere: ut nunc videre poſſint omnes Walachri Claſſiarii, tam ſtultam filificam eſſe ſuam Torcutam, ut dum illos conatur defendere ſua filificatione, omnes ſuo lino & tomento ridicule involvat, à quo ſe nunquam facile expediant.

Ambroſii dein cenſuram arripit pag. 89. & longo rotatu ita filificat ac ſi eam cenſuræ Nathanis vellet præferre. fatetur quidem, ſe Nathanis exemplum non improbare; ſed Ambroſii imprimis extollit velut inſigne; ac imitandum aſſerit; cum tamen hoc illi ex diametro fere repugnet; morem papiſtarum in hoc ſervans, quod ſacroſanctis ac theopneuſtis exemplis minus tribuat, quam humanis; quia hæc humanis affectibus magis videntur convenire. non eſt adeo inviſa mihi veterum & Ambroſii operoſitas, ut (quod alibi Clotho) dentibus diſcerpere vel convitio onerare eum velim ſine juſti æquilibrio: quod res eſt tantum dixi, & porro dicam contra Torcutam; quæ (quod mirere) ſoccis vel ſandaliis aſſueta; hic ſubito Cothurnis, velut Grallis ſubſultat, & ſublimis graditur; ut Theodoſium Davidi peccando prægravet; Nathanem Ambroſio cenſurando poſtponat. non admirabor dicendi artes quas hic effundit Parca, nec imitabor: hoc dico: ſi ratione juſta æſtimetur, excuſabilius fuiſſe delictum Theodoſii, quam Davidis; illud enim ex ſubito impetu (qui moram non patiebatur)

batur) prodiit, ac neceſſitatem habebat, quæ momentium niſu quoque juvabatur : ſeditio enim publica & atrox in principem commiſſa, deletis Cæſaris legatis, periculoſiſſima erat, nec ſoli regi ſed toti regno & omnibus ſubditis ruinam minabatur, & propterea digna quæ publico & memorabili ſupplicio puniretur : cujus exempla ipſe Deus in ſcripturis edidit, in Core, Datan & Abyronis aliiſque factionibus, in quibus ſontes cum inſontibus perdidit : ut fere omnium temporum nationumque inſtitutis, juſtitiæ ſpeciem potuerit habere Theodoſii in rebelles & factioſos cives ſeveritas.

Non enim ex animi vitio prodiit factum, ſed ex majeſtatis juſta æſtimatione, & indigniſſimo ſubditorum contemptu; cui ni gravem & promptam remoram objeciſſet princeps, totius univerſi & majeſtatis dignitas in periculum veniebat : cujus immenſæ rei arbitrum ſe facere Ambroſium ſummæ erat arrogantiæ.

In Davidis contra facto; non neceſſitas; ſed mollis libido & ſpontanea perverſitas, origo erat; nilque occurrebat, quod urgeret; ſed diſſuadebant omnia quæ vel juſti vel juſtitiæ ſpeciem poterant habere : quid enim opus erat ad regni ſalutem vel majeſtatis tutelam, fideliſſimi ſubditi uxorem clam comprimere : ac ſi compreſſam ac gravidam jam ſciret, an non ſatius fuiſſet, benemerenti marito parcere ?. quis enim non cogitet occultando adulterio potuiſſe ſervire ſuperſtitem Uriam ? præſertim quem viderant domi ebrium Jeroſolymitani cives circa imprægnationis initia. unde jam apparet, ſi originem, animum,

 pro-

progreſſumque peccandi videas, minus excuſabile fuiſſe Davidis delictum: quod non juſtitiæ & majeſtatis tuendæ reſpectu, neque unico actu terminatum eſt: ſed ex impura libidine incipiens, dein ad ebrietatem & fraudes, ultimo ad infandam & proditoriam necem proceſſit, & multis menſibus pertinaciter duravit.

Sed peccarit uterque graviter! quæritur quis prudentius cenſuraverit, & cujus cenſura imprimis in exemplum trahi debeat? cum altera alteri videatur obſtare. Nathan certe, vetus regni doctor, & Theopneuſtus propheta erat; ad hanc cenſuram faciendam ſpeciatim à Deo concitus; ut hic nil humani videas, ſed divina omnia, & merito imitanda: at hic regem ſimul confitentem ſimul abſolvit, & conſolatus eſt: nec ulla pœnitentialia ſpacia ritusque conſtituit; quippe à Deo ipſo doctus; qui etiam fictam Achabi Pharaoniſque pœnitentiam ſemper reſpexit, ut pœnam culpamque priorem remitteret, quoties eam faterentur; neque aliam regulam hominibus præſcripſit.

Unde jam videas, ab humano impetu & ſpiritu prodiiſſe Ambroſii cenſuram; quippe qui non Theopneuſtus; auſus eſt tamen pœnitenti dolentique cæſari Theodoſio maledicere; cumque pœnitens ad ſacra admitti ſubmiſſe poſtularet, multis ille menſibus ab ſacris audacter abſtineret. fateor, talem eſſe hanc cenſuram Ambroſii in Theodoſium cæſarem, ut non Eccleſiaſticis modo ad hierarchiam proclivibus declamandi dederit occaſionem; ſed tragicis ipſis materiam facile ludendi ſuppeditarit is Ambroſii in Theodoſium

doſium luſus, ac temeritas: ut difficilime intercernas, utrum potuis mirere, Ambroſiani animi ferociam, an Theodoſiani abjectionem: quorum exempla ſi accidiſſent in re vera ac neceſſaria(qualis fuit Heliæ in Achabum,& Moſis in Pharoanem animoſitas,) laudatiſſimi eſſent caſus; nunc quia in non neceſſariis, & humanis ritibus, abſumtæ ſunt utrinque tam magnæ virtutes, non eſt ſine vituperii labe, quidquid in utriſque laude dignum videatur.

Totum certe hoc arduum ac periculoſum negotium cenſurarium ſumtum erat ab uſu eccleſiæ, non ab divino mandato: nuſquam enim in ſcripturis invenias pœnitendi ſpatia & ritus, quales tunc tantopere urgebat Ambroſius. ſed ab uſu prædeceſſorum quædam ſumſerat, quibus ipſe quoque (ut fit) addiderat. Non eſt propoſitum in ſingula digredi, ex Sozomeno aliiſque apparet hujus moris origo, & ridiculus uſus, ac abrogatio. Is lib. 7 Cap 16. narrat, antiquitus Chriſtianos, cum peccaſſent, peccata palàm confiteri ſolitos fuiſſe: dein pudori datum hoc eſſe ut privatim peccata profiterentur Persbytero pœnitentiario; qui dein pro cujuſq; delicto, quid facere ſingulos aut luere oporteret, interminabatur.

Hoc negotium in ſe ſumebat Romæ Epiſcopus.(ut vetus imperandi deſiderium illic, videas.)*ubi pœnitentium peculiaris erat locus, in quo poenitentes ſtabant mæſti ac lugentes: cumque ſacrorum participes eſſe non poterant &c. planctu ac lamentis ſe in terram abjiciebant: ad quos lamentabundus accurrebat epiſcopus*! (vide hi-

 ſtrioni-

ſtrionicam !) *ſimiliter humi cum ejulatu collâbens* : *& tota eccleſia lachrimis ſuffundebatur* : *poſtea Epiſcopus primo ſurgebat, jacentes erigens, pro pœnitentibus precans* ; *tandem imponebat iis pœnitentias, præſtituto tempore*; *quo ſeſe affligerent poenitentes*: *quo tranſacto à peccato abſolvebantur & populo jungebantur*.

Narrat autem, Conſtantinopoli *ſub Nectario Epiſcopo accidiſſe, ut diaconus quidam nobilem fœminam ſub prætextu hujus poenitentiæ compreſſerit, unde illic, ſuaſu Eudamonis, is mos poenitendi abolitus eſt, & cuique liberum permisſum, prout ſibi conſcius eſſet, ad myſteriorum communionem accederet.*

Ab hoc more ſumſerat ſuam cenſuram Ambroſius. cui & hoc quoque addiderat; (ut narrat idem Sozom lib. 7. Cap. 24.) Cæſari ante id tempus ob majeſtatem locus fuerat in ſacrario, ut à populo eſſet ſeparatus : hoc non probavit Ambroſius, ſed locum illi aſſignavit extra ſacrarium, ante cancellos, ſic ut populum Imperator, Imperâtorem ſacerdotes ordine anteirent ; hi enim omnes in ſacrario erant tanquam ſacroſancti ; extra ſacrarium, ſed prope cancellos, ſedebat Cæſar ; poſt Cæſarem remotior populus.

Ut hic rudimenta videre liceat totius Papatus, quæ dein excoluit poſt Ambroſium ſuperba clericorum ambitio.

Mihi hoc ſufficit oſtendiſſe, temerarium fuiſſe Ambroſij factum, quod tanta audacia, ac tanto cum opprobrio, majeſtatem Cæſaris laceſſire auſus

ſus ſit, non divino mandato, ſed uſu eccleſiæ,& quidem malo (quoad modum,) nixus: quem ſi prudens & generoſior Cæſar ſpernere fuiſſet auſus, totius Chriſtianitatis cladem procuraſſet.

Id magis mirere, ſi hujus actus circumſtantias conſideres, quæ ſcripta illius temporis teſtantur. Cum enim ad ſacra veniret cæſar Theodoſius, accurrens Ambroſius, *purpuram Cæſaris arripuit; addens, ſiſte gradum*: Cæſarique aditum interdixit: abſtinuerat jam octo menſibus Cæſar: pœnitentiam facto teſtatus, flendo etiam dolens, quod ſacris intereſſe non poſſet; miſſoque Rufino prætorii præfecto, viro illuſtri, adeundi copiam precatus eſt ab Ambroſio; ſed is tanquam canis indigne exceptus, Cæſari retulit nullum adhuc veniæ locum eſſe apud Ambroſium. non retrogreſſus tamen eſt Cæſar, qui jam de legatione Rufini bene ſperans, ad templum acceſſerat media via, licet monitus ne pergeret; ſed moleſtiæ impatiens reſpondit Ruffino, ibo tamen ut cōtumelias omnes ſufferam. advenienti autem Cæſari dixit Ambroſius, *adventum ejus eſſe tyrannicum; & contra deum inſanire*: reſpondebat Cæſar, *recordare clementiæ Chriſti, qui eſt dominus omnium, & ne mihi occludas januam* (inquit) *quam ille omnibus pœnitentibus patefecit*. ad quæ Ambroſius, *quam tu pœnitentiam poſt tam grave ſcelus oſtendiſ?* tandemque extorſit legem, quod Cæſaris judicia poſt id tempus irrita eſſent ante trigeſimum diem poſt ſententiam à ſe latam; dumque hæc in ſacrario ageret, per diaconum illi mandavit, ut extra ſacrarium ante cancellos cum populo & laïcis ſtaret: tam indigne & papaciter, acſi eum publice

 ſub-

ſubſannare voluiſſet. ut non immerito dixerim, hoc in Theodoſium Cæſarem cenſurarium factum fuiſſe imprudens, temerarium, & tyrannicum & Antichriſto ſcalas erexiſſe. Id negat Torcuta; & contra ſua filificatione oſtendere conatur, divinum, pium, & modeſtum cenſurandi modum ab Ambroſio ſervatum fuiſſe. Non eſt mihi propoſitum omnes Torcutæ filificationes perſequi, & nominatim omnes futilitates diſcutere; (in immenſum enim excreſceret tractatio:) hoc tantum oſtendam, Ambroſii cenſuram quoad modum divinam non fuiſſe, ſed merum abuſum; qui Antichriſtici faſtus ac Romanæ tyrannidis tandem cauſa fuerit.

Etſi enim corripiendi & cenſurandi munus deus voluerit vigere in ſuo populo, certum eſt, nullum cenſurandi modum pro divino habendum eſſe, quam qui divinitus lege vel exemplo inſtitutus, deū authorem habeat: jam autem dicat Torcuta, qua lege quove divino præcepto, vel Theopneuſti exemplo, Ambroſius acceperit, ut Theodoſium Cæſarem jam diu lugentem & pœnitentem à ſacris removeret, & Cœli januam occluderet in terris quam Deus pœnitentibus apertam tenebat in Cœlis: adeo ut, cum hanc lugens ac pœnitens ſibi aperiri ſubmiſſe oraret Cæſar, diceret; adventum ejus eſſe tyrannicum, ac contra deum inſanire; & arrepta Cæſaris purpura diceret, *ſiſte gradum*. Siccine cenſurandi modus pia & modeſta ſeveritas fuit? Siccine verus & legitimus cenſuræ uſus? affirmat Clotho, & mihi neganti ſtulte illud væ minatur, quod timere jubent prophetæ, qui tenebras lucem & lucem tenebras dicunt.

dicunt. Quis non videat, huic lanificæ Communem ſenſum deeſſe ? vel, quod alibi, Aetnam non æque altum eſſe, quam huic vetulæ ſtultitiam ? ipſe enim Deus, divinorum humanorumque omnium ſupremus arbiter, hanc generalem ſibi ipſi regulam ſtatuit, quo die ſe converſurus ſit peccator, non recordaturum amplius antecedentium peccatorum, & ſi cocco aut ſanguine rubicundiora fuerint, lana & nive albiora facturum; quam divinæ voluntatis benignitatem ſecutus quoque Nathan, pœnitentem regem David illico ac ſine mora abſolvit.

Sed objicit Clotho pag. 93. *prophetam fuiſſe Nathanem, & de ſinceritate Davidis certum eſſe potuiſſe.*

Reſpondeo, hoc non quæri; ſed, an ſpeciali revelatione de ſinceritate Davidis certus fuerit; nam ut Torcuta ſcribit pag. 103, à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. hoc autem non docet ſcriptura quod lanifica nugatur, Deum Nathani hoc revelaſſe: ſed audita Davidis confeſſione, ſine mora reſpondiſſe; Deus peccatum tibi remiſit. cujus exemplum quoque ſequutus eſt Ioannes Baptiſta prædicator pœnitentiæ à Deo miſſus, qui quoſvis peccatores, ſolâ pœnitentiæ confeſſione purgatos, baptizavit, Luc. 16. & Paulus Apoſtolus, qui audita pœnitentia inceſtuoſi, noluit illum excruciari pœnitentiariis ritibus, ſed illico abſolvi voluit, ne inſidiis ſatanæ exponeretur, 1. Cor. 11. in eo multum diſſimilis Ambroſio, veteribus ac novis papiſtis: qui judicant, multo æquius eſſe, vere pœnitentes Chriſti oves ſuo cultu privari, ac diaboli inſidiis exponi; quam ut ſine periculo ad Dei ſacra admittantur hypocritæ, &

juſte

juſte juſto Dei judicio committantur : non aliam ob cauſam quam ut humanis ſuis legibus ſatisfiat.

Præterea dicat Clotho, an non Ambroſius populi, immo puerorum ſannis expoſuerit Cæſarem, cum de reconciliando Cæſare deliberaturus in ſacrario, per diaconum ante cancellos eum juſſit ſtare cum laïcis? hoc ſi Cæſarem confundere vel ſubſannare non fuit, quid tandem erit huic Torcutæ? ego certe hoc dixerim judicatu difficile eſſe, uter magis in hoc facto delirarit, Ambroſiuſne, tam turpiter & impudenter Cæſari illudens, an Theodoſius, tot injuſta ac indigna tam muliebriter ferens.

Vltimo jam dicat Vliſſingana vetula; qua poteſtate fretus noluerit Ambroſius Cæſarem abſolvere, niſi primum extorta lege, ne Cæſaris decreta Capitalia ab hoc tempore rata eſſent ante trigeſimum diem. hoccine non erat in templo Dei ſedere, & ſpiritualis regni prætextu ſupra Deum omneſque dictos Deos & monarchas mundi ſe efferre? ſolus enim Deus eſt qui regna conſtituit, quique poteſtatem enſigeram confert, aufert, quibus vult, omnemque animam illi ſic ſubjecit, ut Deo reſiſtere dicantur quotquot illi reſiſtant. hoc fecit Ambroſius, qui etſi poteſtatem enſigeram totam quidem Cæſari non ademerit, ita tamen decerpſit ſummæ majeſtatis florem, ut non niſi ad ſuum nutum Cæſaris decreta rata eſſe potuerint ante trigeſimum diem.

Vnde nunc liquet, impudentiſſimam eſſe hanc vetulam, quæ tot rationibus convicta, ſcribere audeat, cenſuram Ambroſii *piam & modeſtam fuiſſe, ex verbo*

ex verbo Dei deſumtam, verum Cenſuræ uſum, non abuſum , nec humanius cum Cæſare agi potuiſſe ; & alia multa quæ ſtulte balbutit edentula Vliſſing-anus, quia ex dictis conſtat ſi ad veri juſtique lancem appendantur ſingula quæ in Cenſura Ambroſii occurrunt, nil certius eſſe quam Cenſurarium Ambroſii factum Antichriſtici faſtus præludium fuiſſe , & ſuo facto monſtraſſe Ambroſium, qui prætextu ſpiritualis regiminis ſumma mundi majeſtas contemni poſſit , ac pedibus conculcari.

Pag. 106. iterum rixatur de titulo legati, & negat ſe gloriatum, quod Chriſti legatus ſit, quia totidem verbis id non fecerit. anile delirium! quaſi glorioſus jactator non ſit qui ſe ipſum vel illos ſaltem inter quos reputari cupit extollat ſupra id quod ſunt, & qui id agat contentioſe ut Torcuta fecit.

Fateor, (neque id lanificæ operoſe probandum erat ex Gualtero , Cyprian. et aliis) prædicatoribus à Theologis & patribus quandoque tribui nomen legati; quin addo Apoſtoli, Sacerdotis , & prophetæ; non quod revera tales ſint, ſed ut his titulis quovis modo authoritatem illis concilient apud populum : haud diſſimili conſilio ut olim antiquiſſimi patres (de ſacrificio miſſæ ne quidem ſomniantes) myſterio cænæ ſacrificii nomen improprie dedere, ad reverentiam majorem myſteriis conciliandam: ex quo patrum facto, ſuo commodo inhiantes veteres papiſtæ, cuderunt miſſæ ſacrificium: ſimilis impoſtura Grallatoris & Walachrorum eſt in legataria hac ſanctitate exſtruenda; qui cum

viderant

videant, legati titulum hodiernis prædicatoribus quandoque tribui, ex nudo titulo rem ipſam venantur: ſe authoritative prædicare ut legatos Dei; *ut qui eos audiat Chriſtum audiat, & qui eos rejiciat Chriſtum rejiciat.* quem fucum ſi ſemel Chriſti populo imponant, jam illis promptum erit ſomnia ſua & quævis figmenta pro divinis oraculis venditare. diſieci hanc futilitatem in Grallis atque alibi: & oſtendi, duo requiri in legato Dei; *ut legatorum Dei neceſſariis donis ſit inſtructus; & Illuſtri ac incorrupta legatorum Dei vocatione ſit vocatus.* Vtramque Conditionem prædicatoribus hodiernis deeſſe oſtendi; tum quod legatorum Dei neceſſariis Donis deſtituantur; tum quod vocatio illorum quoad modum mere humana & corrupta ſit, nec dignitatem legatorum Dei poſſit conferre.

Reſpondet Torcuta pag. 115. *nævos hominum non efficere ut irrita ſit vocatio Dei: & probat; quod multi per illegittima media vocentur ad magiſtraturam, quorum vocatio pro divina habeatur, adeo ut obedientia illis ſit præſtanda tanquam Dei legatis.*

Reſpondeo, in politicis rem ita ſe habere, ut quantumvis corrupto & illegittimo modo enſigeram poteſtatem quis poſſideat, ſemper pro Dei legato ſit habendus qui illam poſſidet, illique obtemperandum ſit ob conſcientiam; quod alia ratione non fit quam quod Deo ſic viſum ſit; & quia tam pravos ac illegittimo modo vocatos pro ſuis legatis haberi cupiat.

Oſtendat nunc ſtulta lanifica cum Grallatore & Claſſe Walachra, in ſpiritualibus & eccleſiaſticis vocationibus rem legatorum Dei ſe habere

habere ut in politicis, ut habeant habentes, & poſſideant poſſidentes. hoc eſt, ſi quis ad munus legati non aptior quam aſinus ad lyram ſit, & electione quantumvis ſimoniaca ac corrupta ſit vocatus; à talibus Donis, & vocatione illi accedere Ius legatorum Dei, ut loqui poſſit μετ' ἐπιταγῆς, ita ut qui illum audiat Chriſtum audiat, quique illum rejiciat Chriſtum rejiciat. in quo cenſu ſua munia cenſet papa, à quo ſuam Theologiam mutuata eſt hæc Torcuta cum Grallatore & novis Walachro papiſtis: ſed oſtendi jam ſæpius, deum neminem in ſpiritualibus pro vero legato agnoſcere, quam qui donis legatorum Dei inſtructus, illuſtri & incorrupta legatorum Dei vocatione miſſus ſit.

Pag. 110. pergit delirando, & mera ludibria eſſe ſcribit quæ rem non expediant; quod dicam, *vocationem hodiernam divinam eſſe, quia à deo ſit inſtituta, in ſe autem & ratione modi quo hodie* (præſertim à Walachris) *celebratur, mere humanam eſſe*. quæ anilis ſaliva eſt; niſi enim cœca eſſet, facile vidiſſet, rem melius non poſſe expediri. nam quæram, an non credat utramque Aaronis & Caiphæ vocationem divinam fuiſſe? ego utramque cum Theologis divinam dico, ſi Deum inſtitutorem & authorem muneris reſpicias: ſin vocandi & inaugurandi modum quo uterque creatus fuit pontifex, Aaronis certe diviniſſima fuit ac cæleſtis fulgoris plena; Caiphæ autem corrupta & mere humana; nam ducentis fere annis ante adventum Chriſti fædiſſimæ corruptelæ regnaverant in occupando ſacerdotio; quod de Grallatoris & Walachrorum vocatione quoque

que oſtendi, quæ utcunque externam quandam vocandi larvam obtinet, intus tamen & in cute omnia corrupta & humana habet.

Vt certum ſit, maximam dignitatem hodiernis prædicatoribus accedere, ab ordinatione Dei qua docendi munus inſtituit, & à ſcientiæ donis quibus pollent. quoſcunque enim Deus neceſſariis dotibus inſtruxit, oſtendit, à ſe ad docendum formatos & vocatos eſſe; quos eccleſia dein tanquam à Deo ſibi traditos ſpeciali vocatione recipit, & ſuo uſui ita adaptat, ut oneroſe uni eccleſiæ omnia dona, omneſque facultates impendere teneantur; quo nomine, ὑπηρέτας haud male cũ Apoſtolo illos dixerim, ut qui tam oneroſe eccleſiæ negotiis & laboribus ex pacto alligati, mercedem quoque laboris velut mercenarii ex pacto nanciſcantur. Pag. 126. clamat, Walachrorum honorẽ ſibi curæ non eſſe, indignatur tamen quod mercenarios nominem; fatetur quidem mercedem accipere ab Illuſtr. Ordinibus; non tamen ita phlegmatica eſt, quin hoc exprobret politicis, quod non de ſuo ſed eccleſiæ bonis largiantur fateor: ſed hoc quoque cogitare velim, non eccleſiaſticos, ſed politicos, gladio & ſanguine cuſtodiiſſe eccleſiæ bona; ſi enim (ut Gaudæ olim) eccleſiaſticorum curæ commiſſa fuiſſent, jam diu ærarium ad mercedem prædicatoribus defuiſſet: attamen hoc filo conatur torquere; multos eſſe qui pretium accipiant & tamen mercenarii non ſint, ut profeſſores, Illuſtres Ordines, ipſeq; Princeps: ſed in hoc fallitur, quod diſcrimen non facit inter mercedem & honorarium: hoc fere non laborantibus, ſed liberaliter

ſuam

ſuam operam conferentibus datur; illa vero non niſi ſerviliter & onerofe laborantibus: ut certe non mihi ſed Paulo imputare debeat Torcuta, quod mercenarios vocem miniſtros, quia is pretium prædicantium vocat mercedem.

Quærit quo nomine Chriſtus vocandus ſit? qui piarum mulierum donis vixit, Luc. 8. an mercenarius?

Verbo dicam: nec merces nec honorarium fuit quo Chriſtus vixit; quia nec ob laborem nec ob honorem illi collatum eſt: illum non adhibuit; hunc non quæſivit: quid ergo? ſpontaneum ac pium donum fuit, quo Chriſtus non opus habuit cum vellet, ſed benigne accepit, is qui omnia habebat, ab illis qui omnia debebant.

Vt certe non neceſſe ſit, pag. 110. quod miniſtrorum ſortem deploret Lacheſis, dum pro laboribus & ærumnis ſuis hoc habeant, quod mercenarii vocentur à me. eſt quod Paulo id acceptum ferant, qui miniſtrorum pretium, mercedem vocans, eos *mercenarios* facit. Quanquam miranda eſt hæc ſimulatio Torcutæ, quæ alioquin ſimplicior, hic popularem auram captat, de ærumnis prædicantium conquerens; fuit aliquando vera illa querela, cum eccleſiaſtica officia non erant beneficia: ſed apud Grallatorem, & Walachros, mercenaria hæc moleſtia non fugitur; ſed ambitur; illic miniſterium emitur, venditur; rapitur, capitur: illic non opus eſt ut quis ſe ſoletur de miniſterii moleſtiis; ſed miniſterialis merces Solatium eſt moleſtiarum; ac divitiarum omniumque lautitiarum introitus.

Unde fruſtra hic ſe torquet, & alibi, cum putat,

 injuriam

injuriam fieri Apoſtolis, ſi ὑπηρέται ſive ſubremiges vocentur, vel varia in Chriſti nave ſcamna ſtatuantur; quia Apoſtolorum nemo (etſi in altiſſimo ſcamno collocati) tam curioſus fuit, quin ſe humiliando ſubremigem quoque in Chriſti nave facile fateretur; à qua humilitate multum cum ſuis Walachris Torcuta recedit, quæ Antichriſti Spiritu & faſtu plena, ſuperbe aſſerit, omnes miniſtros hodie eſſe ἰσοβάθμους, & in eodem ſcamno ſedere cum Apoſtolis in Chriſti nave; in quo certe nimis temeraria eſt quod ſe faciat in remigio Apoſtolis parem quam hoc eſſet abſurdum! ut, ſi Apoſtoli adeſſent hodie, in eodem ſcamno ſederent tanquam pares, Grallator Walachrus blaſphemus harpax, cum ſtulta lanifica & ſimilibus Walachris. quin potius ad ſolius Petri aſſeſſum credibile eſt, de ſcamno caſuros haud aliter ac olim Ananias ac Zapphira. ac ne ipſi credo Walachri velint, omnes hodie ſecum in eodem ſcamno ſedere, quotquot docendo remigent: cum ſibi ſolis tribuant prædicationem publicam Sacramentariam; proponentibus, publicam quidem, ſed non ſacramentariam; laicis tantum ædificativam privatam ut jam plura hic ſcamna collocanda ſint in Eccleſia, Chriſti navi, quam olim Ambroſius loca fecerat in templo; infimum enim locum dederat laicis, procul à Sacrario; medium cæſari, prope cancellos, ſed extra ſacrarium; ſummum ſacroſanctis ſacerdotibus intra ſacrarium. at in Chriſti nave, quatuor hic diſtinguenda ſunt ſcamna; quorum ſupremum habuerint Theopneuſti Apoſtoli; ſecundum Authoritativi

hodie

hodie prædicatores ſacramentarii ; tertium proponentes , non ſacramentarii ; infimum laici ædificativi ; omnes ſub Chriſto velut remigantes ; quorum duo poſtremi hodie voluntarii eſſe videntur , nec mercenarii ; anthoritativi enim remiges hodie mercedem habent ; proponentes non habent, ſed ſperant; ædificantes nec habent nec ſperant. ut jam videat Torcuta , male hoc ſubremigale filum volviſſe.

Pag. 116. iterum defendit legatarias ineptias, & ex Calvino ac Piſcatore probat , prædicationem & vocationem miniſtrorum hodiernam divinam eſſe : quod certe huic lanificæ non erat probandum ; quia expreſſe ſtatuo divinam eſſe prædicationem hodiernam ; & vocationem , ſi deum authorem ſpectes,qui docendi munus & vocationem inſtituit.

Hoc vero probandum erat Torcutæ , vocationes miniſtrorum prout hodie celebrantur, *quoad modum divinas eſſe*, immo tam divinas quam extraordinaria legatorum Dei vocatio olim fuit. ita enim delirat filifica pag. 126.

Neque illi favet locus act. 20. & Eph. 4. quia verba, *ipſe vero dedit Apoſtolos* &c. *& paſtores* : continuum actum non deſignant.

Primo , quod abſurdum , & inſolens ſit , per verbum præteritum , deſignari futura ac ſemper duratura.

Secundo , quia finis ſeculorum hic nulla mentio fiat.

Tertio , quia ſi illud τὸ dedit denotaret ſemper duratura : ſequeretur , Chriſtum ad finem

 mundi

mundi non tantum daturum paſtores, ſed Apoſtolos quoque & prophetas.

Stulta lanifica pergit delirando, & pagin. 118. mihi objicit locum Mat. 28. *ecce ego ſum vobiſcum ad conſummationem ſeculi.* quem fateor me antehac de induſtria neglexiſſe, quod nihil faciat ad rem. Chriſtus enim his verbis nihil aliud promittit, quam ſe effecturum ut non ſint inutiles diſcipulorum labores quos ſuo nomine eſſent ſuſcepturi. quod certe hodie procurat; etiam tunc cum eccleſiam ſuam quovisſmodo propagari ſivit, per paſtores non modo vocatos, ſed non vocatos, ac infideles, quique miniſteria per fraudem & Simoniam occupant lucri cauſa; Unde ſtatuo, ex hac Chriſti promiſſione non magis inferri poſſe, Chriſtum ad finem mundi eccleſiam ſuam ædificaturum per fideles & divinos legatos, quam per Apoſtolos & prophetas.

Pag. 119. Clotho ſecundo reſpondet, Cameronem male adverſus papiſtas inferre, Chriſtum ſemper daturum eſſe Apoſtolos; ſi ſtatuatur, illud *τὸ dedit* continuum actum deſignare: quia (inquit) eodem modo ex verbis Chriſti, *ego ſum vobiſcum ad conſummationem ſeculi*, quis poſſet inferre, Apoſtolos in carne victuros ad finem mundi: quod anile delirium eſt: primo, quia verba *ego ſum vobiſcum*, in actu continuo ſumta, ſubſiſtentiam in carne neceſſario non deſignant, ſed aliquando favorem; ſecundo, quia pronomen vobiſcum, non tam perſonas, quam doctrinam deſignat; tertio, quia verba ad conſummationem ſeculi, aliquando idem valere poſſunt ac ſemper, ut cum Apoſtolus 1 Tim.

1 Tim. 6. 14. Timotheo præcipit, ut præceptiones ſervet uſque ad illuſtrem adventum Domini, h. e. *ſemper.*

Tertio inquit lanifica, Cameronem tantum negare adverſus pontificios, illud *τὸ dedit* continuum actum non deſignare. Res ſane ridicula! quaſi adverſus veteres papiſtas hæc Cameronis negatio vera eſſe poſſit, adverſus Torcutam vero & novos Walachropapiſtas falſa.

Sed inſtat denique, ac dicit, ſe Cameroni opponere multos Theologos non minus graves: quod authoritativum & papiſticum filum eſt, ac fragile apud reformatos, quotieſcunque ſcriptura atque ratio contrarium evincunt: quanquam certe à Calvino re ipſa Cameron non diſſentiat, neque ego: nihil aliud enim Calvinus docet quam, miniſterium docendi à Chriſto inſtitutum, non unius diei vel temporale eſſe, ſed perpetuum fore quamdiu mundus ſtabit; ac Chriſtum effecturum, ut ſemper in mundo aliqui ſint, qui eccleſiam propagent. Chriſtum autem id ſemper effecturum eſſe per legatos ſuos proprie dictos, atque in eum finem ſemper eccleſiæ ſuæ daturum eſſe ea legatorum Dei dona, quæ Apoſtolorum tempore vigebant in eccleſia, tantum abeſt Calvinum ſtatuiſſe, ut potius contrarium ſcripſerit, in comment. ad locum 1 Cor. 14. 32. *Ex hoc Pauli loco* (inquit) *coniicere licet, quam præclara bonorum ſpiritualium copia & varietate illa eccleſia floruerit. erant prophetarum collegia, ut labor eſſet in diſtribuendis vicibus: erat donorum diverſitas tanta ut aliquid redundaret. nunc videmus noſtram tenuitatem, immo*

 inopiam:

inopiam : ſed Juſta ſcilicet pœna hæc ingratitudini noſtra rependitur ; neque enim exhauſta ſunt divitia Dei, imminuta ejus benignitas ; ſed nos neque digni quibus largiatur ; neque liberalitatis ejus capaces &c.

Pag. 121. pergit delirando, & ait, ex textu Pauli clarum eſſe, omnia quæ à verſ. 7. uſque ad verſ. 12. dicuntur, ad omnes fideles pertinere uſque ad finem mundi. quo nihil ineptius dici poterat. Primo, quia verba quæ verſ. 7. & 8. de donis, & de menſura donorum ſcribit Apoſtolus, ad omnes fideles & eccleſias referri non poſſunt ad finem ſeculi. nam de vulgaribus donis non tantum loquitur, qualia hodie in eccleſia reperiuntur ; ſed de præclara donorum ſpiritualium copia & varietate, qua tunc eccleſia florebat: quam ad omnes eccleſias ad finem mundi pertinere nemo dixerit. Secundo, quia evidens eſt, verba illa verſ. 11. & 12, *dedit paſtores & doctores*, fideles ſcilicet & legitime vocatos *ad continuationem integram ſanctorum* ; ad omnes fideles & eccleſias ad finem mundi non pertinere: quia eventus docuit verum eſſe quod Cameron teſtatur & Torcuta fatur : aliquot Chriſti Eccleſias aliquando propagatas, & in fide conſervatas fuiſſe, per paſtores qui in deplorato eccleſiæ ſtatu donis tantummodo inſtructi, ac nulla eccleſiæ vocatione inſignes, ovium Chriſti curam in ſe ſuſcepere : aliquando quoque per infideles paſtores, qui ſub cimmeriis papatus tenebris oves Chriſti ad aliquot annorum centurias duxerunt ad paſcua, quibus inerat quidem unde paſce-

paſcerentur , ſed multum quoque veneni. ut jam conſtet perpulchre , ſtolidam eſſe hanc vetulam , quæ tam audacter aſſeverare audeat , in textu clarum eſſe, omnia illa quæ à verſ. 7 ad 12 uſque ab apoſtolo recenſentur , ad omnes fideles & eccleſias pertinere ad finem ſeculi.

Sed inquit Torcuta: Quæ,quæſo, hæc ſequela? Chriſtus conſervavit & propagavit eccleſiam ſuam in papatu per infideles paſtores : ergo nulli tunc fuere veri ac fideles paſtores in toto terrarum orbe. ita ſcilicet tumultuatur temulenta hæc vetula pag. 121. Reſpondeo,non meum , ſed Torcutæ hoc argumentum eſſe,quæ argumentando delirare ſolita , me ſimiliter delirare putat. Hoc meum argumentum eſt ; ſi Chriſtus eccleſiam ſuam aliquando ædificat & propagat per paſtores vocatos , nimirum in eccleſiæ ſtatu collapſo ; & aliquando aliquot annorum centuriis per infideles paſtores propagavit ; ergo verba illa Pauli , *ipſe autem dedit Apoſtolos , paſtores , & doctores* , ad concinnationem integram ſanctorum , non pertinent ad omnes fideles & eccleſias ad finem mundi. Nam ſi illud verbum *dedit* continuum actum deſignaret , qui ſe extenderet ad omnes ſanctos fideles & eccleſias , tunc verum eſſet quod papiſtæ volunt , nuſquam eccleſiam reperiri poſſe, quæ non habeat ſuos veros paſtores , legittime ab eccleſia vocatos. ut jam videre liceat , Torcutam,cum Grallatore & Walachris , à Ieſuitis hanc interpretandi ſcabiem contraxiſſe ; qua ſtatuit, illud *τὸ dedit* continuum actum deſignare, & omnia quæ à verſu 7 ad 12 dicuntur , ad

 omnes

omnes fideles & eccleſias pertinere ad finem mundi.

Vnde nunc dico, Chriſtum ſemper quidem eccleſiam ſuam propagare per paſtores; ſed non ſemper per paſtores legatorum Dei neceſſariis donis inſtructos, & divino modo vocatos; quales Apoſtoli fuere, nec non Titus, Timotheus, & alii, qui univerſam ſalutis doctrinam infallibili certitudine tenuerunt: ac ulterius quoque ſtatuo, aliud eſſe ſimpliciter paſtorem agere in Eccleſia, aliud vero legatum Dei.

Paſtoris enim officio re ipſa funguntur in eccleſia, qui collapſo eccleſiæ ſtatu, & cum ordinarii paſtores facti ſunt lupi rapaces, ovium Chriſti curam ſuſcipiunt ſine vocatione ordinaria.

Paſtoratu quoque funguntur hodie, qui ſæpe ſtupidi, ignorantes, ac malitioſi, per fraudes & ſimoniam miniſteria occuparunt.

Paſtores erant in eccleſia, qui ſub cimmeriis papatus tenebris oves Chriſti ducebant ad paſcua, quibus inerat quidem unde paſcerentur, ſed multum quoque veneni.

Paſtores quoque populi erant ſcribæ ac phariſæi, quos Chriſtus cæcos ductores cæcorum dixit.

Hos autem omnes quia paſtores, quis merito Dei legatos dixerit? Nam de legatis ſuis ſic loquitur Chriſtus, *ſicut me miſit pater, ita & mitto vos*: aptitudinem in illis deſignans, & divinam miſſionem, ex quibus jus legatorum Dei quoque ita naſcitur, ut qui his conditio-

nibus

nibus deſtitutus, licet paſtor in eccleſia ſit, jure legationis ex Chriſti inſtituto non poſſit frui. quia non qualemcunque miſſionem in ſuis legatis requirit Chriſtus, ſed incorruptam ac divinam; nec qualiacumque dona, ſed infallibilem ſcientiam errore deſtitutam, junctam cum fidelitate. ita enim nos æſtimet homo, (inquit Paulus 1 Cor. 4. 1, 2,) ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei; cæterum in miniſtris hoc requiritur ut fidelis aliquis reperiatur: *quæ fidelitas* (inquit Calvinus) *& rectam veritatis ſcientiam errore deſtitutam, & fidelem ac pium animum deſignant.* ad quam legatorum Dei veram normam ſi examinentur quotquot hodie reperiuntur paſtores; nemo erit qui non multis paraſangis ab ea diſtabit.

Vt profecto mera deliria ſint cum ſtatuit pag. 125, *paſtorem agere in eccleſia prorſus idem eſſe ac agere legatum Dei; & paſcere nihil aliud eſſe quam paſcere cum imperio ſicut Petrus fecit, cui dictum fuit, Paſce oves meas.* quia eccleſiam non ſolum paſcit qui illam paſcit cum imperio divino; ſicuti Petrus & Apoſtoli fecere; ſed illi quoque qui id agunt ſine imperio; ut ſcribæ & phariſæi, qui, in Cathedra Moſis ſedentes, & legatorum Dei donis deſtituti, populum ex officio publico quidem docebant, ſed tanquam paſtores, qui audiendi erant cum diſcretione, ut illos ſolemus qui ſine imperio loquuntur, ac per modum doctrinæ, admonitionis, & conſilii.

Vnde nunc liquet futile eſſe argumentum Torcutæ; *Chriſtus dedit eccleſiæ ſuæ paſtores*, nimirum fideles, legatorum Dei donis inſtructos, & di-

&divino ac incorrupto modo vocatos; *Atqui hoc durabit ad finem mundi*; *ergo* &c. Reſpondeo Aſſumtionem falſam eſſe; primo, quia Chriſtus hodie & ſemper eccleſiæ ſuæ non dat illuſtria illa dona, nec paſtores illuſtribus legatorum Dei donis inſtructos; ſecundo quia paſtores qui hodie & omni tempore ab eccleſia vocantur, divina illa & incorrupta legatorum Dei vocatione non mittuntur, qua tunc miſſi erant, de quibus Apoſtolus loquitur cum inquit, *ipſe autem dedit alios quidem Apoſtolos* & paſtores, &c.

Unde probet Torcuta, hodie rem ita ſe habere, ut olim; nec diffitebimur proprie dictos Dei legatos eſſe hodiernos prædicatores.

Pag. 135. & ſequentibus mirifice laborat ut filum inveniat, quo magiſtratui architectonicam poteſtatem extorqueat, quam habet jure divino in res eccleſiaſticas, & quærit primum quænam illa formaliter eccleſiaſtica fuerint quæ politici tetigere in veteri teſtamento? ea inquam quæ hodie formaliter eccleſiaſtica eſſe Grallator dicit, ut ſunt, publice docere, ſacramenta adminiſtrare, prædicatores mittere, & ſacerdotes deponere; quorum aliqua hodie politici quoque tangunt.

Magiſtratus enim paſtores quoque eligunt & vocant.

Cenſuram majorem ſuffragiatim cum eccleſiaſticis decernunt & ſuſpendunt.

Synodos ſoli convocant; & hoc ſoli quoque faciunt, ut decreta ſynodi vim legis in eccleſiis obtineant. adeo ut compertum quoque ſit, non eſſe tam ſpirituales ipſos Walachros

præ-

prædicatores, ut ſe eccleſiaſticorum ſtatutis alligari patiantur, niſi à politicis ſint confirmata; ut ſtultitiam ſuam hic iterum prodat hæc vetula Vliſſingana; cum quærit pag. 139, quænam illa formaliter eccleſiaſtica ſint, quæ à politicis totaliter perficiantur.

Pag. 140. perſeverat in antiquo delirio, & repetit argumentum quod disjeceram.

Si (inquit) *magiſtratus pollet divinitus architectonica poteſtate in formaliter eccleſiaſticis, tum hæc duo ſequentur; primo, poterit pro libitu concionari, (modo aptus ſit) ſacramenta adminiſtrare, miniſtros vocare & deponere, etiam invita eccleſia: ſecundo, ſupra omnem eccleſiaſticam cenſuram erit conſtitutus*, &c.

Reſpondeó nugari filificam & abſurditates fingere ubi nullæ ſint; haud aliter illudens Chriſtianis, quam infantibus ſolent vetulæ, quæ dum illos abſterrere volunt ab inſpectu rerum quas ſibi ſervant, fingunt illic lamias latere, merſuras ſi auſint tangere vel accedere.

Primo enim quas enumerat functiones, tales ſunt ut ab eccleſiaſticis fiant prout recenſet; quæ, cum ſpeciali jure ſanctæ non ſint, conſtat ab politicis quoque fieri poſſe; quia certum & indubitatum eſt ex ſcripturis, eam eſſe architectonicæ poteſtatem, ut quivis princeps vel ſupereminens poteſtas in ſuo regno omnia facere poſſit quæ velit, modo expreſſa lege non ſint interdicta. jam autem proferantur tabulæ quibus hæc interdicta ſint.

En tabulas, inquit Torcuta! en ſacram ſcripturam! Rom. 10. 15. *quomodo prædicabunt niſi miſſi fuerint?*

In

In quo loco citando iterum delirat; quia hic probandum non eſt, neminem ſine miſſione prædicare poſſe; ſed neminem eſſe miſſum, niſi immediate à Deo, vel ab eccleſia miſſus ſit, quod apertum mendacium eſt, neque ex hoc loco poteſt evinci. ſicut Calvinus ipſe innuit, qui fatetur *hic non agi de legitima cujuſque vocatione*. & ratio quoque manifeſta eſt. ſi enim ſenſus Pauli eſſet, (ſicut Torcuta nugatur) neminem poſſe prædicare, quam qui extraordinarie à Deo, vel ab eccleſia miſſus ſit: duo abſurda ſequerentur. primo, à Ioſaphato 2. paral. 17. 9. ad prædicandum miſſos, non potuiſſe prædicare; quia à rege miſſi erant: quod falſum eſt; nam hoc factum ſcriptura laudat. ſecundo, omnes ſine fide perituros quotquot hodie deſtituantur prædicatorum miniſterio, qui ab eccleſia non ſint miſſi; quod falſum quoque eſſe eventus docet.

Quod ſecundo ait magiſtratum fore conſtitutum ſupra omnem eccleſiaſticam cenſuram, nullam abſurditatem involvit; quia certum quoque eſt magiſtratum gladium fruſtra non geſtare; ſed in ſubditorum bonum; & proinde (fatentibus Theologis Orthodoxis) vi architectonicæ eam poteſtatem habere in cenſuram, ut ſi ea abuti velint eccleſiaſtici, gladii acie eos compeſcere ac impedire poſſit. quanquam certe negem reges atque principes ſic ſupra omnem cenſuram conſtitutos eſſe, ut charitative & per modum fraternæ admonitionis ac conſilii, ab eccleſiaſticis vel privatis fratribus non poſſint induci. quia cum hæc admonitio

fraterne

fraterne fiat ac ſine imperio , nihil detrahit architectonicæ poteſtati. ut oſtendit exemplum ſervorum Naamanis Syri, 2 Reg. 5. 13. qui videntes injuſtam domini iram , ſervata tamen ſervili ſubjectione , blande illum alloquuti ſunt ; *Domine mi, ſi rem magnam tibi propheta dixiſſet , an non facturus fuiſſes ? quanto igitur magis cum jam dixit tibi, Lava te, & mundus eſto?* Unde ſe nugari videat Torcura , cum pag. 147. ſcribit , me Architectonicam poteſtatem eo ipſo ſubvertere ; quod ſtatuam pios Architectones non omnia facere pro libitu , ſed tali animo erga eccleſiaſticos eſſe, ut bonis illorum conſiliis ſe facile patiantur induci.

Sed aliud filum ex his ſalivando ducit pag. 142. ſi ea, inquit, magiſtratuum poteſtas ſit in res eccleſiaſticas , tunc *debebunt miniſtri in ſua functione ſe totos magiſtratuum imperio mancipare; ac nihil agere quam ex præſcripto ſui Architectonis*; non aliter garriens de architectonica poteſtate, quam ſi omnes qui huic ſubjacent , omnia facere teneantur, ſive bona, ſive mala , ex Architectonis præſcripto : quod falſum eſt : quia in his ſolum architectonicæ poteſtatis vis conſiſtit, ut omnia in ſuo regno facere poſſit quæ velit, modo aptus ſit , neque divina lege ſint interdicta : præterea ut præcipienti bona parendum ſit, mala autem mandanti fugiendum , vel ferenda pœna quam vult infligere : quæ in eccleſiam & res eccleſiaſticas poteſtas , nec blaſphema , nec ſacrilega eſt ; quia à Deo ordinata, ut Scriptura docet & Theologi fatentur.

Communis ratio, qua quidam in contrarium

utuntur

utuntur fere eſt, quod Chriſtus ſolus ſit caput eccleſiæ & dominus; unde impium ſit illi aliquem in Eccleſia ſubſtituere, qui illius nomine architectonicam poteſtatem in Eccleſia exerceat: quod filum torquet Clotho, ſed ex floccis conſtat. Chriſtus enim ſolus eſt ſupremum & immediatum caput in politia, ut alibi oſtendi: an igitur blaſphemum eſt, quod hodie tot reges, & magiſtratus, cum Architectonica poteſtate ſint in politia? hoc ne Anabaptiſtæ quidem dixerint Iam hic mihi rationem dari velim, cur tam ſacrilegum ſit Chriſto ſubeſſe architectonem in eccleſia; & non blaſphemum ſed licitum, tot architectones illi ſubeſſe in politia? tam abſoluta enim poteſtas Chriſti in uno eſt quam in alio; quia unus idemque Chriſtus mediator exaltatus architectonicæ poteſtatis dominus eſt.

Ut jam neceſſe ſit huc confugere, ut probetur Chriſtum hanc poteſtatem ab eccleſia novi Teſtamenti exterminaſſe.

Principalis ratio qua utuntur hæc eſt; quia Chriſtus ex hoc mundo decedens eccleſiæ curam commiſit Apoſtolis, quibus ſimul dominium mundanum in eccleſiam interdixit. quæ ratio quidem evincit, prædicatoribus non competere dominium in eccleſiam: ſed hoc regibus propterea non convenire tam inepta collectio eſt, ac ſi dicam, Chriſtum interdixiſſe privatis gladii uſum, ergo eum non convenire magiſtratui. vel, miniſtros non decet rebus ſecularibus ſe implicare; ergo nec agricolas, mercatores, & magiſtratus Chriſtianos hoc decere. vel,

vel, prædicatores non debent molles & pretioſas veſtes gerere; ergo hoc non debent facere aulici.

Has nugas in Grallis rejeci, & oſtendi hoc modo nil ſolidé concludi. ut certe merito canes Æſopicos dixerim alibi Walachros Theologos. canis enim aliquando in fæno jacens, quia ſentiebat ſibi natura interdictum uſum fæni, allatrando abſtinuit à fæno quoque boves; quibus tamen fænum conveniebat: ſic eccleſiaſtici Walachri, ſentientes ſibi interdictam in eccleſia regnandi licentiam, quæ cum imperio & vi coactiva fit, maledicendo, & rixando, eam quoque invident politicis; quibus interdicta non eſt, ſed conceſſa.

Id multis rationibus paſſim probavi in Grallis. Oſtendi enim inter alia, principes ſub veteri lege ſolius Architectonicæ poteſtatis jure negotia ſacra non minus quam politica curaſſe, neque ab illius rei ſacræ tractatione abſtinuiſſe, niſi expreſſa lege eſſet interdicta.

Abjatharem ſummum ſacerdotem Salomon depoſuit à ſacerdotio.

Judices Eccleſiaſticos non minus quam politicos Joſaphat conſtituit: &c.

Prædicatores cum libro legis ad prædicandum urbatim miſit.

Joſias ſtans in templo legit & prædicavit, & coëgit populum ſervire domino Deo ſuo, verbo & gladio armatus.

Probavi ſecundo, prophetas veteris teſtamenti prædixiſſe, hanc quoque fore conditionem regum & principum ſub Euangelio. Eſa: 32. Pſal. 2. &c. Ter-

Tertio, Chriſtum & Apoſtolos hanc poteſtatem principibus novi teſtamenti conceſſiſſe. Matth. 20. Rom. 13. 1. Tim. 2. &c.

Quarto, Chriſtum Architectonicam poteſtatem quæ cum imperio vi coactiva fit, in ſua Eccleſia ſanctificaſſe; cum flagello ex funiculis facto puritatem divini cultus vindicavit; & Apoſtolos (quibus ratione muneris prædicatorii omne inperium coactivum interdixerat) extraordinarie vi coactiva armavit; qua urgente neceſſitate poterant coercere rebelles & refractarios, metu mortis & pœnæ corporalis.

Quinto, teſtimonio Ioannis Calvini hæc omnia confirmavi, qui in Comment. ad locum deuter. 13. 5. ſcribit, immutabili & perpetua lege ſancitam fuiſſe à Deo poteſtatem quam principes ſub veteri lege in Dei populum exercuere: nec Chriſtum eam abrogaſſe quando regni ſui exordia gladio noluit juvari; quia, inquit, ex Dei decreto hæc poteſtas denuo introducta fuit, cum reges vi verbi manſuefacti, ex infeſtis perſequutoribus, facti ſunt eccleſiæ nutritii & cuſtodes.

Ex tot rationibus & aliis quas paſſim in Grallis adduxi, unum arripit Clotho ex loco Mat. 20. *Reges gentium in eas dominantur: ſic non erit inter vos.* ex quo loco ratione oppoſitorum recte inferri dixeram, Chriſtum principibus dominatum in eccleſiam conceſſiſſe. quia dominatum quem diſcipulis interdicit, principibus non denegat ſed concedit; atqui interdicit diſcipulis dominatum in eccleſiam; ergo eundem principibus non interdicit, ſed concedit.

Quærit

Quærit Torcuta, *an quia Chriſtus principibus dat dominatum in gentes , illis quoque concedat imperium in eccleſiam?*

Reſpondeo hoc neceſſarium eſſe; quia is qui dominium architectonicum in gentes exercet, eo ipſo id juris in illas obtinet, ut ſive Idololatricæ ſint, ſive Chriſtum receperint, eas verbo & gladio ad veri cultus obſervantiam cogere poſſit, ut feciſſe conſtat pios principes, qui olim ſub veteri lege Dei populo præfuerunt.

Secundo quærit, *an oppoſita ſint , Chriſtum Apoſtolis dominatum in eccleſiam interdixiſſe; & principibus dominatum conceſſiſſe in gentes?*

Reſpondeo hæc re ipſa oppoſita eſſe; quia Chriſti eccleſia ex gentibus quoque conſtat. dicitur enim pſal. 2. *gentes datas eſſe Chriſto mediatori in poſſeſſionem.* in quas cum dominatum concedat Chriſtus principibus, diſcipulis autem ſuis qui reges non erant ſimpliciter interdicat, apparet delirare Torcutam cum ſcribit, *argumentum hoc tam parvo flatu difflari, quam à vento folium, vel panicula tectoria.*

Clamaverat Bombomachides ſolis presbyteris convenire illud dic eccleſiæ, atque inde illis ſolis jus à Chriſto datum eſſe judicandi & compeſcendi principes, ſi aliquod grave ſcandalum commiſerint; faciendo eos publicanos & Ethnicos, & à ſacris abſtinendo, ut Ambroſius fecit.

Ubi rurſus quæro quo pacto regi vel principi perſuadebunt, hoc jus eccleſiaſticis à Chriſto datum eſſe?

Cum primo conſtet ex loci circumſtantiis,

Chriſtum illic agere de fraterna & privata correptione,qua quis privatim à fratre læſus, non de lædendo ſed ſervando fratre debeat eſſe ſollicitus, & quidem jure fraternitatis ac legis à Deo datæ Levit. 17. 19. *non odio habebis fratrem in corde tuo &c.*

Secundo, cum ne una quidem loci circumſtantia oſtendat, novum illic ac juridiciale tribunal inſtitui, in quo vnus Epiſcopus vel pauci aliquot presbyteri jus dicerent, ſolvendi ac ligandi ſpeciali ac ſancto jure.

Sed inquit Totcuta pag. 149. *poſtquam Chriſtus dixiſſet, Dic Eccleſiæ: ſtatim addit, Amen dico vobis quæcunque ligaveritis in terra. &c. at illa poteſtas ſoli presbyterio convenit.*

Reſpondeo nugari Uliſſinganum. nam ignotum ignoto, immo falſo probat. textus enim & verba Chriſti contrarium evincunt. quia Chriſtus hoc loco Eccleſiæ non dat ſolvendi & ligandi poteſtatem, ſed Petro tanquam fratri læſo. Sit tibi inquit Chriſtus tanquam Ethnicus & publicanus: dicit *tibi*, non *Eccleſiæ*; quaſi diceret; injuria frater te affecit; tu illum ad reſipiſcentiam vocaſti omnibus modis; tu ergo illum ut profanum relinque, & ſine remiſſione ſuo peccato ligatum tene: neque credas hunc actum tuum irritum fore vel nullius momenti; *Amen dico vobis quidquid ligaveritis in terra ligatum erit in Cælo; quidquid ſolveritis in terra ſolutum erit in Cælo.* hoc pacto non Eccleſiæ, ſed in perſonis Apoſtolorum, ſingulis diſcipulis, ſi à fratribus læſi ſint, ſolvendi ac ligandi poteſtatem tribuens. Hic genuinus loci

ſenſus

ſenſus eſt, quem verba Chriſti præ ſe ferunt. *Repetit, inquit Gualterus quod Petro ſupra promiſit Cap. 16. & Apoſtolis omnibus dedit Ioan. 20. quod autem illic dicitur de Evangelii prædicatione quæ rata ſit quoad promiſſiones credentibus factas, & damnationes incredulorum, Marci 16: id in præſenti omnibus Chriſtianis datur, quoad actiones injuriarum cum fratribus.* in Comment. ad locum Mat. 18. qui hac in re præter nudam verborum ſeriem Auguſtinum quoque & Theophylactum ſequutus eſt.

Auguſt. homil. 15. *Si fratrem habes pro Ethnico & publicano, ligaſti illum in terra, ſi correxeris, ſolviſti in terra.*

Apertius Theophylactus in hunc locum *ſi offenſus, eum habes qui injuria te affecit, ſicut publicanum & gentilem, erit ille in Cœlo talis; ſi ſolveris eum, hoc eſt ignoveris, erit ei in Cœlo condonatum: non enim quæ ſolvunt ſacerdotes erunt ſoluta,* (arrigat aures Clotho) *ſed quæcunque & nos injuria affecti, vel ligamus vel ſolvimus, ipſa erunt ligata & ſoluta.*

Certe ſi in veterum monumenta digrederer, oſtenderem non eſſe nova quæ profero; niſi veritatis vetuſtatiſque ignaris Walachris; quanquam mihi nunquam ita ſapuit humanis hortulis enata beta; uti in divinæ ſcripturæ paradiſo exculta ſalutaris ſalvia. Tertullianus Lib. de ve-

land. virgin. *hoc exigit veritas*, (inquit) *cui nemo præſcribere poteſt ; non ſpatium temporum ; non patrocinia perſonarum ; non privilegia regionum. dominus noſter veritatem ſe , non conſuetudinem nominavit. ſi ſemper Chriſtus & prior omnibus aque veritas ſempiterna & antiqua res : viderint ergo quibus novum quod ſibi vetus eſt. hereſes non tam novitas quam veritas revincit ; quodcunque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hereſis , etiam vetus conſuetudo.*

Hæc ſcribo non quia ordinem damno , aut presbyteria , vel ab Illuſtribus ordinibus approbatas regendi formulas : Apertas legum ſtatutorumque violationes tantum accuſo : quales apud Walachros produnt , parturiuntque ſub larva ſanctitatis ſpecialis juris , impurus & impudens illic Grallator ; ac muliebri inſcitia , licet nequitiarum expers, Vliſſing anus illi concalcularis ; videlicet levitico jure & ſpecialiter ſancto ; non eccleſiæ membris ut profanis , ſed ſolis rectoribus ac prædicatoribus per illud *dic Eccleſiæ* ſanctificatis , jus ligandi convenire , quo ſoli poſſint pro arbitrio (ut olim faciebat Ambroſius) Principibus præter jus faſque imperare ac illudere ; quo tantopere delectatur ſtulta Lacheſis Vliſſingana , ut toties admonita non deſinat etiam cenſurariis ſuis ſanctitatibus & prærogativis tanquam hirudo ſemper adhæreſcere. Nolim quoque vitiis principum aliquid hic aſſentatum ! ne ipſi quidem hactenus tales ſunt, (ut fatentur Walachri) quin inter pios cenſeantur ; ac ſi imprudenter agant argui ſe patiantur & modeſte ferant illud *dic eccleſiæ* : ſed ne quid nimis ! humani animi ac ſuperbi inventum eſt,

per

per *dic Eccleſiæ* Chriſtum ex modeſtis prædicatoribus feciſſe authoritativos graſſatores; quibus dum libeat, liceat, ſine ullo reſpectu, principibus imperare, ac vim inferre: ſicut Ambroſius fecit.

Sed jam ad Torcutam. dixeram in Grallis, non ſatis conſtare inter Theologos, quid per vocem eccleſiæ Chriſtus denotarit, & multas quoque ac diſſidentes opiniones ad examen revocaveram: hoc tamen ut indubitatum ſtatuens.

Primo meram ſcripturæ corruptelam eſſe; quod cum Chriſtus Mat. 18. vulgaria tantum tradat quæ omnibus privatis ſint communia jure fraternitatis, Eccleſiaſtici inde ſibi cuderint privilegium authoritativum & juridiciale ſpecialis Iuris; præter intentionem Chriſti.

Secundo, maxime inſolens eſſe, quod per vocem Eccleſiæ velint præciſe deſignari ſolos eccleſiæ rectores, Epiſcopum, vel presbyteros. quæ abſurditas ex eo oſtenditur, quia conſtat, nomen eccleſiæ quibuſvis conventibus etiam profanis tribui in ſcripturis, ſed nunquam (cum de Eccleſia Chriſti mentio ſit) presbyterio. corpus enim Eccleſiæ ſine & cum rectoribus eccleſia Chriſti dicitur; nuſquam presbyterium eccleſia vocatur. Unde hoc ſtatuo, nil veriſimilius dici quam Chriſtum per vocem eccleſiæ deſignaſſe illum Cœtum cui nomen eccleſiæ Chriſti in ſcriptura tribuitur, ſive ea ſit eccleſia cum vel ſine presbyterio. ſenſus enim eſt, ſi tibi ſoli aurem non præbuerit, nec adhibito uno & altero fratre ſe corrigi patiatur, delictum ejus intra duos & tres

fratres non amplius occulta, ſed in publicum profer, ac, omnibus quibus potes notifica, ut qui à paucis correptus ad pacem non potuit diſponi, totius eccleſiæ & multorum correptione ad concordiam permoveatur. qui ſenſus ex eo quoque confirmatur, quia cum Chriſtus inquit *dic eccleſiæ*, non jubet illum ad eccleſiam deferri tanquam ad arbitrum vel judicem litis qui illum ſolvat aut liget, ſed tanquam ad litis moderatorem; quia Chriſtus ſtatim non eccleſiæ, ſed fratri læſo ligandi poteſtatem tribuit; ſi eccleſiam non audierit, *ſit tibi velut ethnicus & publicanus*; hoc eſt, tu qui offenſam accepiſti, ligatum tene qui te offendit; illum certe ſoluturus, ſi culpam fuiſſet deprecatus.

Objicit Toreuta, *confuſionem orituram & diſſidia, ſi lites ad totum corpus eccleſiæ deferantur, quæ aliquot millium aliquando ſunt.*

Sed hoc abſurdum non commovit unquam ſanctiſſimos Apoſtolos, quin ad controverſias tollendas admiſerint totam multitudinem ut videre eſt act. 15. Adde quod non minor confuſio ſæpe expectanda ſit, ſi vel unus prælatus, vel aliquot in conſiſtorio inter ſe colludant, ſemoto eccleſiæ corpore; ac res eccleſiæ ita tractent, ut ad errores ſuos & ſcelera mutuo conniveant; ac junctis operis ad piorum famam remque convellendam conſpirent. quale fuiſſe Mittelburgi Grallatoris regimen, ſæpe oſtendi: & adhuc mordicus apud Walachros defendi, hæc ſtulta lanifica ſua ſimplicitate prodit.

Chriſtus, inquit Clotho pag. 151, illis verbis *dic Eccleſiæ presbyteria inſtituit ut ſemper eſſent in eccleſia,*

ad

Digitized by Google

ad Eccleſiæ gubernationem & conſervationem. Balbutit ac Circuitione utitur ut incautos decipiat. nam Apoſtolos preſbyteros in ſingulis eccleſiis adjuvaſſe nemo dubitat, neque id Torcutæ operoſe probandum erat. ſed hoc doceat ſtulta Lacheſis, Chriſtum his verbis *dic Eccleſiæ* præcipiſſe, ut in ſingulis eccleſiis eſſet eccleſia repræſentativa, conſtans ex preſbyteris, atque hanc ſpeciali ſanctoque jure duobus verbis *dic eccleſiæ* ita ſanctificaſſe, ut, ſi reliqui fratres qui in eccleſia ſunt judicium de rebus ſacris & fratrum ſcandalis, vel ligandi & ſolvendi poteſtatem ſibi quoque vellent aſſumere, ſacrilegi futuri ſint & Calcatores ſanguinis Chriſti. Hoc ego magnum & papiſticum mendacium eſſe dico! quia hæc omnia ſubdole ac præter intentionem Chriſti dicuntur; Chriſtus enim Petrum non mittit ad preſbyterium; quia tunc nullum erat; ſed ad eccleſiam quæ tunc erat; nec ad Eccleſiæ præpoſitos; quia diſcipuli alium præpoſitum non habebant quam Chriſtum Ieſum, quem hac voce *dic Eccleſiæ* denotari abſurdum. Chriſtus ergo illis verbis deſignavit Eccleſiam, non ſe ipſum qui Eccleſiæ caput erat; nec preſbyteria quæ tunc nulla erant; ſed eccleſiam quæ tunc erat; quæ conſtabat ex duodecim Apoſtolis & quamplurimis quos ſibi diſcipulos fecerat Chriſtus, quam eccleſiam his verbis deſignat *dic Eccleſiæ.* quæ interpretatio ex verbis Chriſti ſumpta, toto Cælo differt à papiſtica, Grallatoris, & Torcutæ; neque ulla veriſimili ratione ex Chriſti verbis poteſt refelli.

Nequidem aliam diſcipulorum Chriſti men-

tem fuiſſe certum eſt. cum enim Apoſtolus adverſus Corinthiacum peccatorem cenſuram inſtituit, non ad certum quendam eccleſiæ numerum vel ad ſolos preſbyteros ſcandalum defert, ſed ad Eccleſiam quam Chriſtus denotavit per verba *dic Eccleſiæ*: hoc eſt ad Eccleſiam quæ tunc erat Corinthi; cui hoc exprobrat, *quod inflati eſſent, nec curaſſent ut tolleretur è medio qui facinus hoc patraſſet*; cui quoque ſcribit, *vobis & meo ſpiritu in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis* præcipio vel dico, *ut ejuſmodi homo tradatur ſatanæ*; & poſt, *nonne de iis qui intus ſunt vos judicatis*? & tandem; *tollite illum ſceleratum.* ac in Epiſtol. 2. Cap. 2. correptionem non à Paucis aliquot preſbyteris, ſed *à multis factam dicit.* & verſ. 10 remiſſionem culpæ & ſolutionem peccatoris pœnitentis non preſbyterio ſed Eccleſiæ concedit; ut quoque conſolationem peccatoris, quæ non fit quam per denunciationem remiſſionis & gratiæ Dei, qua is ſolus peccatores beat quotieſcunque pœnitentiam agunt. Unde conſtat, nugas & mera deliria eſſe quæ de ſuo *dic Eccleſiæ* ſomniarunt veteres & novi papiſtæ; & humani ordinis, non ſpecialis juris & ſanctitatis eſſe, quidquid hodie & jam à longo tempore ſibi vendicarunt eccleſiaſtici cenſores; qui ſi hac poteſtate abuti velint; ab eccleſia, vel à magiſtratu politico in ordinem redigi poſſunt, ut diſcant ſuo *dic Eccleſiæ* non abuti.

Pag. 152. Repetit verba quibus ſcripſeram Chriſtum Petro præcepiſſe ut fratrem læſum & incorrigibilem haberet pro Ethnico & publicano,

blicano, h. e. à privato ejus contubernio ſe ſubduceret. quam interpretationem rejicit, cum Pauli tamen ſit, 1. Cor. 9. 11. & 2. Theſ. 3.

Verum inquit Torcuta, Paulus diſerte ait, *tollite illum Sceleratum.* ſed doceat quid illud tollere ſit; ſtatuunt enim omnes Orthodoxi illud *tollere* in unius fratris poteſtate non fuiſſe; immo multi cenſent ne quidem in poteſtate totius eccleſiæ fuiſſe ſine auxilio Pauli: quid igitur hæc ad excommunicationem privatam de qua Chriſtus loquitur?

Sed inſtat Torcuta, *& vel unum reformatum ſibi dari cupit, qui mecum in tam abſurda interpretatione ſentiat.* In quo certe delirat! niſi enim ſtulta eſſet hæc vetula, non poterat ignorare, mecum hic ſentire, quotquot ſtatuunt, traditionem ſatanæ de qua Paulus loquitur miraculoſam fuiſſe, nec Chriſtum vel Apoſtolos unquam cenſuræ eccleſiaſticæ cænam dominicam immiſcuiſſe. quibus poſitis, certum eſt, Chriſtum Petro nihil aliud dicere voluiſſe, quam ut fratrem incorrigibilem tanquam profanum & ſua culpa ligatum Deo committeret; atque ejus privatum conſortium fugeret, non tamen odioſe, ſed ut pudore affectus, ſi fieri poſſit, reſipiſcat ac culpam deprecetur. hæc enim arma ſunt quæ Chriſtus diſcipulis dedit, quorum animos ab omni vindicta cupit eſſe alieniſſimos. Sed ad principum cenſuram; quid ſi princeps delinquat & peccato ſe inquinet? quomodo inquam illum compeſcent? an purpuram apprehendent ut Ambroſius fecit? an à ſacris vi expellent? an populum in eum concitabunt?

hoc totum eſſet Antichriſticum & violentum, & præcipitem daret eccleſiam, ſi princeps gladio armatus eſſet effrenis; Aliter fecit Nathan: ſciebat Davidem adulterum eſſe, norat legem, *adulter morte morietur*: etſi Theopneuſtus erat; etſi ab Deo miſſus extraordinarie; maluit tamen regi pœnitenti parcere; quam ſibi totique populo exitium accerſere: hoc non fecit Ambroſius; ſed caſui potius omnia ſubjecit, quam humanam pervicaciam remitteret. hoc tentavit Mittelburgi Grallator cum ſuis; hoc affectat ſtulta Lacheſis! quæ oſtendit quoque ſe omnis prudentiæ vacuam & parcam eſſe, cum ſtatuit concedi poſſe, Deum nuſquam expreſſe mandaſſe reges morte plectendos; & tamen Blaſphemiam redolere, quod ſtatuam, Deum regibus conceſſiſſe ſpecialia privilegia, ne morte afficiantur, ſi cum aliorum uxoribus ſe polluunt adulterio, ubi temulenta vetula idem re ipſa ait & urget.

Sed tabulas proferri cupit, quæ privilegium dent regi ne adulter poſſit occidi. en tabulas! *Omnis anima ſupereminenti poteſtati ſubjecta eſto.* Rom. 13. quæ lex omni animæ poteſtatem adimit, ne conjectis in regem manibus illum morte afficiat. nam quod de Abimelecho adfert Gen. 20, *tu morte morieris propter hanc mulierem*; anilis ſaliva eſt; quis enim negat regis adulterium Deo exoſum eſſe? ac regem ita ſub Dei poteſtate eſſe conſtitutum, ut mortem illi juſte & multis modis poſſit infligere, non ob adulterium modo, ſed minora delicta.

Vt jam videre poſſit ſtulta Vliſſing-anus, delirium

lirium eſſe ſi quis ex omni divina lege, generalem velit cudere, quæ ſemper & eodem modo ad omnes quoque ſe extendat. putabat enim Deum *προσωπολήπτην* fore niſi admitteretur illud *dic eccleſiæ* : ad regale faſtigium quoque pertinere. quod delirium ſi verum eſſet, non illud *dic Eccleſiæ* modo, (quod tanti faciunt eccleſiaſtici cenſores) ad reges & principes, pertineret; ſed reges illud fratris *corripe* quoque ferre tenerentur; quia idem Chriſtus qui fratri dixit, *dic Eccleſiæ*, hoc quoque dixit; ſi peccaverit in te frater tuus, *corripe eum inter te & illum ſolum; & ſi te audire nolit, ſume tecum adhuc unum aut duos &c.*

Non credo equidem, hunc luſum cenſurarium ſatis amænum fore Eccleſiaſticis hierarchis cum Papa Romano: ut qui hoc Reges atque principes cenſurandi ferculum, tanquam nimis delicatum ſibi ſolis velint relinqui; omnibus fratribus tanquam laicis inde procul remotis.

Pag. 165. Iterum indignatur ſuam philoſophiam deriſam eſſe, & fruſtra ſe torquet, ne credamus principem eſſe deum in animas, hoc eſt animas quoque ſuperéminentibus poteſtaribus ſubjectas eſſe. hoc enim apertis verbis & ſine ulla reſtrictione Apoſtolus docet.

Etſi enim Deus primario & proprie poteſtatem in animas habeat, ut qui ſolus credenda & facienda ad ſalutem, hominibus præſcribat; certum tamen eſt hominum animas ſecundario quoque hominibus ſubjici ex Dei ordinatione. quo ſubjectionis genere omnem

animam ſupereminentibus poteſtatibus quoque ſubjectam eſſe vult Paulus; quia generalis eſt loquutio, quam confirmat verſ. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. qui* (inquit Paræus) *miniſter Dei eſt in bonum ſubditorum , is debet curare & promovere omne bonum ſubditorum, & quo bonum eſt majus, eo magis debet curare & promovere. quod etiam Ariſtoteles de ſuo politico docet & præcipit : vult enim eum hoc agere ut cives reddat bonos, virtuoſos & felices : atqui præcipuum ſubditorum bonum in vera religione conſiſtit. ergo hanc maxime curabit ſubditis ſuis magiſtratus.* hæc ille in comment. ad hunc Pauli locum. & rurſus, *omnis anima ſubjecta eſto ergo aut Papa non eſt anima, aut debet* eſſe ſubjectus jure divino. unde conſtat, me non modo à Pauli verbis non deflectere ſed ne quidem ab orthodoxia reformatorum, cum ſtatuo, magiſtratus non tantum eſſe Deos in Corpora, ſed etiam in animas atque in illas ſuum imperium quoque exercere. quod tamen Vliſſingianus telæ lanæque licet adſueta maxime deteſtatur, ne ſe in ordinem cogi patiantur Eccleſiaſtici ab illis, quibus *omnem animam* Deus ſubjecit, ſed ut potius inverſo Dei ordine, omnis anima Eccleſiaſticis poteſtatibus ſit ſubjecta ob conſcientiam, ſicut aperte delirat pag 171. hoc ſtatuens cum papiſtis ſpiritum ſanctum illis verbis *obedite præpoſitis veſtris*, Heb. 13. eandem obedientiæ ſpeciem deſignaſſe, quam Paulus denotat, Rom. 13. *ſubjecti eſtote non tantum ob metum iræ, ſed* etiam ob conſcientiam. & rationem addit pag. 172. *qui fieri poteſt* (inquit) *ut Deus omnibus præcipiat ut obediant Eccleſiaſticis præpoſitis, & tamen ad id non obligetur omnium*

con-

conſcientia? ubi delirat Clotho, neque difficultatis nodum attingit. id enim hic non quæritur, an Deus obedientiam velit præſtari Eccleſiaſticis præpoſitis? vel etiam an ſinguli Chriſtiani ſibi invicem debeant eſſe ſubjecti? ne hoc quidem, an Dei leges conſcientias ad obediendum obligent? ſed cum certum ſit, Deum dixiſſe; *obedite præpoſitis veſtris*; *ſubjecti eſtote alii aliis*; *& ſubjici neceſſe eſt, non ſolum ob iram, ſed etiam ob conſcientiam*; an illis legibus eandem obedientiæ ſpeciem præceperit Deus, eundemque ſubjectionis modum. hoc affirmare ego delirium eſſe dico; ac ſtatuo, hac lege *ſubjicimini non tantum ob iram ſed etiam ob conſcientiam*; non hanc vel illam obedientiæ ſpeciem denotari, ſed omnem & abſolutam, quæ præcipuam & adæquatam habeat ſubjectionis cauſam, Dei ordinationem: adeo ut ſi is cui ſubjecti ſumus, proſit vel obſit, bene vel male tractet nos, potens vel impotens ſit ad nos coercendos, illi tamen maledicere, vel reſiſtere non poſſimus, ſed nos noſtraque illi ſubjicere teneamur, ob ſolam Dei ordinationem, & conſcientiam. quod in Eccleſiaſticorum præpoſitorum, multo minus in ſingulorum fratrum ſubjectione non habet locum; quibus ſimpliciter non ſubjicimur ob Dei ordinationem & conſcientiam; ſed quia vigilant pro animabus noſtris; qua cauſa ceſſante, ceſſat Dei ordinatio, ceſſat conſcientiæ obligatio, & omnis obedientiæ reſpectus unde Chriſtus quoque pro furibus & latronibus habendos eſſe expreſſe cupit, qui donis pietatis & ſcientiæ vacui, per vim fraudeſque ſe intrudunt in Eccleſiæ regi-

regimen , atque illud injuſte exercent.

Certe in politico præfecto hoc verum eſt,quod vulgo dicitur, *ut habeat habens , poſſideat poſſidens.* ſive enim bonis vel malis mediis imperium occupet; ſive juſte ſive injuſte imperium exerceat; tamen abſolute ob conſcientiam & ſolam Dei ordinationem illi parendum eſt. fateor quidem melius eſſe & nos magis in illius ſubjectione confirmari; ſi legittimis mediis regnum occupet Princeps; & ſecundum leges id juſte exerceat; ſed tantam voluit Deus eſſe poteſtatem magiſtratus, ut à donis & virtutibus non dependere voluerit; ut ſi rex infans & omnes juris rectique ignarus ſit , pro Architectone ſit agnoſcendus , ac ſubjectio ei debeatur abſolute:quam regi non tantum oſtendit, qui bona facit quæ rex præcipit; ſed etiam is qui mala non facit , ſed fugit, vel pœnam fert ſine reſiſtentia: quia hæc quoque obedientiæ & ſubjectionis ſpecies eſt : ut ſi pius ſervus ſe ad mortem potius injuſte cædi ſinat , quam ut domino reſiſtat vel maledicat. ut profecto hic ridenda quoque ſit Vliſſingana Lacheſis, quæ nullam ſubjectionem velit agnoſcere , quam ubi quis imperata faciat; ignorans maximam quoque eſſe ſubjectionem , cum quis ob non perpetrata mala quæ Deus vetat, pœnam ſuffert ſine reſiſtentia etiam ſi poſſit, neque maledicit, ſed publicam reverentiam illi defert cujus injuſtam iram experitur quam abſolutam ſubjectionem à ſpiritu ſancto ſignificari illis verbis *obedite præpoſitis veſtris* falſum eſt; quia nemini in terris hanc conceſſit Deus, quam illis in quibus archi-

architectonicæ poteſtatis ſplendorem voluit refulgere. nam quæ de ſacerdote veteris teſtamenti profert Torcuta ex loco deut. 17. 11. 12. facili negotio diluuntur. notius enim eſt quam ut hic probari debeat, magiſtratum tunc geſſiſſe ſacerdotes, nec de ſacris modo, ſed profanis rebus quoque jus dixiſſe; quam ob cauſam voluit quoque Deus ut jus mundani imperii in illis reſplenderet. quem imperii fulgorem Chriſtus à præpoſitis evangelicis procul amandavit, Mat. 20. 25. 26. 1 Pet. 5. 3.

Ut hinc jam videas fraudem papiſtarum; qui hoc populo obtrudunt; in eccleſiæ & religionis negotiis valere quoque illud vulgatum; *habeat habens, poſſideat poſſidens*: ut alibi dicat Bellarminus; ſi aſinus Bileam eſſet Papa, audiendum tamen eſſe quia Deus eum ordinarit. quas nugas Walachrus ille Grallator ibi de novo ſomniaverat: qui ab authoritate vocationis, putat ſibi poteſtatem imperialem adveniſſe, licet per ſimoniam aut malas artes intruſus, omnibus Legatorum Dei donis vacuus, vitiorum ſpurcitie infamis illic oberret; cui ex ignorantia hic aſſentitur nefaria Clotho.

Si Papa eſſet politicus monarcha, etſi vitioſiſſimus ſit, obediendum illi eſſe faterer, nec maledictis inceſſendum; ſed quia in eccleſiaſtica functione ſcelerate verſatur: tanquam infame monſtrum & orbis portentum, merito exibilandus eſt: cui cum ſe ſimilem præbuerit Mittelburgenſis Papula Grallator, nil indigni patitur, ſi cum ſuis fautoribus Walachris, omnibus ſannis explodatur.

De

Digitized by Google

De compedibus ferreis dein filum torquet, & *gladio ſpirituali* ; cujus uſum probat ab Cl. Vedelio collocari *radicaliter* in omnibus piis, ſed quoad *executionem* in ſolis preſbyteris. ubi non explicat Torcuta quid ſit radicaliter contineri. ſi enim putat Vedelium cum Grallatore hoc voluiſſe ; Executionem cenſuræ tam ſpeciali & ſancto jure præpoſitis hodiernis convenire, ut ſi reliqua eccleſiæ membra quæ judicandi & corripiendi donis quoque pollent, de cenſura inſtituenda judicium & arbitrium ſibi quoque audeant aſſumere, ſacrilegi ſint, & calcatores ſanguinis Chriſti: id primum ex D. Vedelio probandum erat ; quod non facit Torcuta, (ſed ut multa alia) tanquam indubitatum præſupponit.

Progreditur dein ad Antichriſtum, & pappoſo filo conatur hoc circulare; cæſarem non fuiſſe ſolum retentorem Antichriſti: quia oſtendit multos alios fuiſſe. ſed hoc filum ſua ſubtilitate rumpitur.

Fateor multos fuiſſe qui Antichriſti adventum impediebant quodammodo ; ſed ſolus cæſar, tanquam ſummus Architecton hoc perfecte fecit ac cum efficacia ; æque ac multi forte contra Goliathum pugnaverant, ſed ſolus David illum proſtravit : quam diu enim cæſar ſummum ſuum imperium ſervavit ; Antichriſtus perfectus in mundo non fuit : debebat enim eſſe perſona eccleſiaſtica ; quæ imperium ſibi debebat aſſumere, in dictos mundi deos & monarchas: jam quandiu cæſar erat ſum-

ſummus in mundo princeps , qui neminem ſupra ſe agnoſcere volebat ; tam diu Papa non fuit plenus Antichriſtus ; ſed ſimul ac cæſarem ſubſtravit , quod fecit plene Hillebrandus, in Cæſare Henrico quarto , tum factuş eſt magnus Antichriſtus.

Vnde apparet, quotiens politicos ut hermaphroditas hodie ſubſternunt ſibi eccleſiaſtici ; toties oriri novos & parvos Antichriſtos.

De Marnixii facętiis tandem ſe excuſat, & filum ſic volvit ut ſe magis involvat. negat ſe *cenſuratium ſtigma impreſſiſſe* ; & tamen judicavit *eas vitiis non carere.* quid aliud eſt cenſurare , quam vitia oſtendere?non ſemper malum,ſed ſæpe bonum eſt,quod imitandum non eſt ; ut Phineæ , Heliæ , aliorumque facta ; ſed quod vitiis non caret, à bono deflectit ſemper. ſi non ſaperet ut pepo Vliſſing-anus, vidiſſet hoc filum rumpi.

Sed altius ſternutat Clotho! ait,meos ſales nec ab Malachiæ , nec Heliæ , nequidem Marnixii exemplis ſumtos eſſe,ſed ab diabolo : ſic ſingultire ſolent noctis erebique filiæ! quid ita ? quia illi falſos cultus riſerunt (inquit,) at ego Walachras veras ſanctitates ſubſanno.

Scilicet vera religio eſt & ſanctitas ! hominibus perſuadere ; *quod myſtes hodie , licet ſit infan.is, omnibuſque vitiis oppletus, tamen,ut olim levita,ſit ſpeciali jure ſanctus.*

Quod vocatio hodierna , licet per fraudem, ſimoniam & omnes fere nequitias perficiatur, tamen ſit , quoad modum divina , ſancta , quæ legatum Chriſti ſpeciali jure ſanctum efficiat

miniſtrum, (ut olim Apoſtolos,) qualiſcunque ſit, modo ea vocatione gaudeat.

Quod prædicatio miniſtri, licet ſit falſa, ridicula & ſæpe ſeditioſa; tamen hujus vocationis merito, ſit cenſenda ut poteſtativa, authoritativa, cui omnes politici ſe, ſuaque, debeant ſubjicere.

Quod abſtentio à cœna, Walachrorum more adhibita; ad torquendas conſcientias bonorum; & protegendos impios ac infames; ſit divinum, ſacroſanctum, ſub Sacrilegii pœna, nemini tangendum negotium, niſi miniſtris, aut eccleſiaſticis vocatione gaudentibus.

Quod jus nomotheticum, dependentiæ, & judicandi de rebus fidei, ſunt formaliter eccleſiaſtica negotia, ſpeciali jure ſacra, quæ ſi aliquis tangat quam eccleſiaſticus, ſacrilegus ſit, & Uſa, Uſiæque pœnis dignus.

Quod Eleemoſynare æs ſolis eccleſiaſticis tractandum ſit; ab profanis politicis tractari non poſſit; ob ſanctitates terminorum, à quo, ad quem, & per quem.

Quod magiſtratus per ſe, h. e. ratione magiſtraturæ, ſit extra eccleſiam: & ab eccleſiæ regimine à Chriſto exterminatus, nil in Eccleſia, accidens ſeparabile; viliſſimum membrum ſi virtutibus perſonalibus non emineat; etiamſi pius ſit & fidelis, qui ſacra eccleſiaſticorum negotia,

tia, ſine ſpeciali vocatione eccleſiaſtica, nec poſſit nec debeat tractare; nec totaliter, nec partialiter: ſi id facere audeat, eſſe Tyrannum, Simoniacum, monſtrum, Papam politicum: & ſervum doloſum Horatianum: Prædicatoribus contra hoc convenire, ut in eccleſiaſticis nemini ſubſint quam Chriſto immediate; ab nemine poſſint argui & deponi, quam ab eccleſiaſticis; dicta factaque illorum à nemine poſſe judicari, quam ab iis; non a politicis, niſi in ſumma confuſione; utrum autem illa ſumma confuſio ſit, ejus judicium eſſe penes ſolos ſanctos eccleſiaſticos. videlicet (uti in Walachria) *ſi ſeditioſi, obſcæni, ſcurriles, omniumque nequitiarum convicti, in presbyterio ſedeant; atque etiam in Cathedra declament; hoc non confuſum ſit, ſed* pium & ordinatum; *ſemper enim in miniſtris conſiderandam eſſe poteſtatem Oeconomicam, & Chriſti in illis dicentis Autocratoricam.*

Has aliaſque novas ſanctitates, qui in Walachria videat, ac audiat, (quas effutiit Grallator, & defendit hæc ſtulta Lacheſis) annon credat ſe in Vaticano ſomniare? unde non injuria, ſed jure meritoque egiſſe videor; quod Marnixiano ludendi more novum papatum illum Walachrum facetis dicteriis exploſerim. Hactenus filamentorum faſcem edidi; quem colo, fuſoque, extorſit Torcuta; ex verſicoloribus filis; quorum quædam ſunt nigra, rubra, di-

bapha, buxea, cerulea, glauci, murinique coloris: nec informia; ſed quædam ſubtilia, quædam craſſa, nodoſa, longa, brevia, liciaria, pappoſa; pleraque ex lino conglomerata, quod in agris Romanis excolitur; ut jam materiem exhibuerit Clotho Walachris, ad novam telam eccleſiaſticam ordiendam, ſaltem quæ ſubtegmini, licioque poſſit ſufficere: cui ne quid deeſſe videatur, addam ultimo filum currens, & trajectitium, quod transverſo & currenti fuſo reliqua compingat. eſtque hoc: *De mira orthodoxia, pietate, & ſanctitate, myſtarum Walachrorum.* de qua toto hoc linificio paſſim gloriatur noſtra Parca: ut nil magis indignetur, quam quod in eccleſiæ regimine, & rectoribus Walachris, oſtendam errores ac vitia, non toleranda: ad quæ audacter ubique Clotho, injuriam fieri prædicatoribus Walachris; imprimis Mittelburgenſibus & Grallatori; quippe quos conſtet, nec dictis, ſcriptis aut factis, ullius criminis eſſe reos; ſed contra, *pios, probos, ſanctos,* & *inculpatos* viros; de quorum erroribus, vitiis, & papiſtica tyrannide nil illic audiverit; ut mendacia & calumnias eſſe aperte clamet, quidquid nobis hic in Friſia relatum ſit.

Non fuit animus Vliſſinganæ Parcæ unquam tam parum parcere; quin ignorantiam eſſe crederem, quod ita pro virtutibus Walachrorum malignetur; ac niſi Grallatoriæ probitatis vetus perſuaſio obſtitiſſet, dudum finem facturam fuiſſe ineptiis, uti turpiter fecit Grallator: attamen ne ætas, integritas, & opinata vetus dignitas, incautis credulisque imponat; Walachrorum impri-

imprimiſque Grallatoriæ pietatis ſynopſin addam, quo fædum Calumniæ crimen à me remotum, inſanæ Circulatrici merito inuram.

Edideram in Grallis aliquot exempla effrenis & non tolerandæ audaciæ, quæ myſtarum Walachrorum aliquot, imprimis inſtinctu ductuque Grallatoris, olim ediderant Walachri in contemptum Ampliſſimi illic Magiſtratùs; quorum pleraque ex fide dignis ad me delata, ipſo Grallatoris Silentio, hactenus, comprobata ſunt: ut non dubium cuiquam eſſe poſſit, quin veriſſima ſint; adverſus quæ loquaciſſima illa ſpiritualitas tum ſilendo, tum futilia quædam proferendo ſe hactenus defenderit.

Attamen illorum quodque tam pravi exempli eſt; ut aperte illic oſtenderint prædicatores, ſibi in animo tum fuiſſe; magiſtratui illudere; & pro libitu leges præſcribere; dum quidquid in buccam veniret, ſub popularis auræ favore proclamare, ac indigniſſima quæque coram exprobrare auderent; prætextu Specialis juris, & non tangendæ ſanctitatis prædicatoriæ: ut certe non mirum ſit, piis, ac generoſis Mittelburgenſis reipub. dynaſtis, in animum dein veniſſe, ut illi faſtui ſe opponerent; nec connivendo paterentur, ut ficti Iuris obtentu, in ſuam cervicem excreſcerent ſuperbi dominatores eccleſiaſtici, ab quorum injuriis tandem difficulter ſupremæ poteſtatis ſibi à deo commiſſæ verticem tuerentur.

Hæc pietatis modeſtiæque Walachræ tirocinia, vulgo decantata, audacter diſſimulat Vliſſinganus. Quid mirum ergo feſtucas in oculis ſuo-

 rum

rum Walachrorum non videre, quæ tales trabes non videat? Non expectabo veſanæ vetulæ conſenſum; Laterem lavem, ſi ab lanifica ruborem extorqueam: quibus mens acieſque eſt videndo, de his judicium eſto.

Fuit olim Mittelburgenſis Eccleſiæ myſtarumque Walachrorum ea fama pietatiſque perſuaſio; ut aliarum provinciarum ac inſularum dignitati ſe præferrent; dum populi favore, magnatumque obſequio, omnes ubique eccleſiæ præpoſitos anteirent: vetus illinc natum eſſe ajunt hominum Cacoëthes, ut bacchando ſuperbiendoque nemo alteri diſpar eſſet: utcunque adeſa turpiter re, per ſceleratas fraudes invicem imponant; nil reprehenſione dignum illic cenſetur, modo pietatis Larva obtrudatur: ut Plautianum in morem.

Quodvis illic hominum genus videas, quaſi
Acheruntem veneris.
Tenebræ Latebræ! bibitur, eſtur! in popina
haud ſecius; attamen pulchre omnia,
Modo nomina geſtent Cubitum Longis
litteris.

Ab myſtarum Colluſu, & ſimulandi exemplis, malum morem prodiiſſe adſerunt

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Non repeto nunc pretio compacta, pretio diſtracta illic vulgo connubia: non carpo ſimoniam in vendendis paſtoratibus illic promiſcuam: non apertas lites & rixas vulgo exercitas inter Spirituales; nec artes profero, ad pupillarum ditium curatelas, & uſuras, intra paſtori-

tium

tium parietem cogendas ; non Vſurariam diſciplinam in defendendis infamibus ; non auro locatam operam, ad preſbyteriales factiones Britannorum inflammandas : trita ſunt illic, & vulgo audita ! non venabor ab longinquo argumenta Grallatoriæ pietatis. Quas pridem mihi deeſſe ajebam litteras Indicas, Amſtelodamo ad manum venere : Scriptæ erant Mittelburgo, idib. majis anni 1 6 4 5, ad Perſantium quendam, cum ſubſcriptione Guillielmus Apollonius. quarum exemplar Indo-Batavia dein remiſſum eſt 28. decemb. 1 6 4 5. collatione facta, per Ioannem Cunæum Seris.

Vt certam fidem legenti facere poſſint eæ, quod viri tum ingenium, quæ pietas, & quæ Walachræ diu fuerint illic artes, ad eccleſiaſticam dependentiam, hoc eſt imperium excolendum; non gravabor earum ſummam ex illis ad verbum petere, ut lector poſtremo videat, hic nil ad invidiam favoremque componi. Incipit:

Eccleſia Leydenſis **hadde nu onlangs hare Vocatie op my ghedaen ad Miniſterium Ecclesie : hebben hier gheweeſt ; veel moeyte / by Claſſe en Kercke ghedaen / maer niet konnen uitrichten ; ſijn met de kouſſe by klaeren daeghe vertrocken.**

Papalem Majeſtatem præferens, ut ſolent monachi, bilinguis fere eſt, quaſi feſtinanti unius linguæ verba non occurrerint ; conabor tamen latino ſermone ſingula edere.

Eccleſia Leydenſis pridem vocationem in me inſtituerat ad miniſterium eccleſiæ ; multum operæ apud

 eccle-

eccleſiam & Claſſem impenderunt: ſed re infecta, claro die cum caliga domum abierunt.

Statim initio oſtendit, quanto pretio habeat vocatoriam ſanctitatem miniſtrorum; videlicet dignam cui putidiſſimo & ſcurrili convitio illudat: ſunt qui opinentur, *ſponte* obtuliſſe eccleſiæ Leydenſi; non ſerio, ſed ut poſt, famæ gloriolam nactus, illis illuderet. Infame præ ceteris eſt *Caligæ* vocabulum, à piratis & ſcurris deſumtum; quo muliebria denotantur; ſumto uſu ab Seſoſſi, vel vetuſtiſſimo quodam rege, quem ſcribit Herodotus multas gentes domuiſſe; quarum ſi quæ bellicoſæ fuiſſent, aït illic in rei memoriam reliquiſſe ſtatuam, arrectis virilibus inſignem: quas ignavas contra facile domuerat, illic poſuiſſe imaginem virilem quidem, ſed quam in fronte muliebri membro turpiter coronaverat. utrum autem huc reſpexerit rerum peritus tunc Grallator; dubito; ſaltem ſcurrile ſcomma inſignibus civitatis Leydenſis legatis (quos volunt conſulem & concionatorem fuiſſe) inuſſit; cum tantæ authoritatis viris quaſi gynandris, impreſſerit hoc ſtigma, quod muliebribus pudendis coronati, claro die domum miſſi ſunt ab vocatione Apolloniana. Pergit.

Hebbe laetſt upt laſt van onſe Claſſe tegens de independenten in Engelant geſchreven / welcke ick V. E. mits deſen toeſende / om te ſien *qualia hæc terra generet monſtra.*

Claſſis mandato nuper ſcripſi adverſus independentes in Anglia, quæ t. r. mitto, ut videas qualia hæc terra generet monſtra.

Gloria-

Gloriatur de ſuis conſiderationibus ad Anglos, ut facile videas ſcripturiendi impetum (quem in Grallis merito taxaram.) non modo illis litibus ſe miſcere conatus eſt ; ſed tanquam feralis arbiter, inter presbyteriales, & independentes, ita ſe interpoſuit, ut illos ſolos pro hominibus, hos omnes pro monſtris haberet; unde nil aliud illi tum in animo fuiſſe videas, quam ſuperintendentiam, aut papalem hierarchiam noſtris eccleſiis inducere ; cujus in Zeelandia primatum ſibi polliceretur ; unde pro monſtris haberi volebat, quotquot cum papiſtis non ſentirent ſecum, ad Eccleſiæ ſalutem conſtitutionemque neceſſarium eſſe, ut ab certa aliqua eccleſia, & Eccleſiæ præpoſitis ſingulæ dependerent; haud aliter ac ſub papatu omnes ab Eccleſia Romana, & uno Papa. Perſequitur.

Wy hebben oock een onder ons Collegie / die naer dien ſuerdeech wat ruyckt/ maer ſteut-eerſen hem ſomtijt.

Habemus in noſtro Collegio quendam, qui hoc fermentum non nihil olet, ſed nates illi aliquando concuſſamus.

Facete ſcurrilis eſt in re tam ſeria: etſi enim reformatorum bona pars, ut Helvetii olim, presbyterialem dependentiam improbarint, tanquam ad Papatum nimis declinem ; tamen fermento comparat, quidquid hierarchicæ ſuæ dependentiæ non reſpondeat.

Imprimis profanus eſt in Conſiſtorii vel Claſſis negotio ſancto prodendo ; pro quo tanquam formaliter eccleſiaſtico, ita acriter contenderat, ut Vſiæ plagam minetur politicis ſi id tangere.

aut obire audeant: pol! ſacroſanctum & ſpeciali jure ſacrum! quod tamen (ſi nugonem hunc audias) in hoc quoque conſiſtit, ut puerorum in morem, *ſibi nates mutuo quaſſent* myſtæ Mittelburgenſes vel Walachri in ſacris ſuis conventibus. dolent curioſuli , quod nomen non addiderit. volunt aliqui, Teylingium quendam notari myſtem Mittelburgenſem: cui jam metuo ne Coccyx paralyſi laboret ab crebro natiſquaſſio. ſi tam ſpecialiter ſacrum eſt Walachris myſtis, nates invicem quaſſare, ac hodie papiſtis thuribulo fumigare; ſuaſerim politicis, ut ab hoc negotio templari Walachro manus abſtineant, ne thuribulum illud quaſſando nimis fumigare cogant. Pergit.

Ghy moet oock leeren gheen independenten op Batavia worden / ofte de Vaderlanders ſouden ſuer ſien / ende kyven/ ende als ghy thuys komt/geen eten geven: uwe Bataviſche Kerckenordeninge is als een independent inde weereldt ghekommen ; ſy en mach ſoo niet opghevoet werden / off! *ſed motos præſtat componere fluctus:* Latine ſonant.

Diſcere vos oportet Bataviæ non fieri independentes, ne torvo vultu vos intueantur patricolæ, ac rixentur , domumque redeuntibus vobis eſcam denegent; Batavicus Eccleſiæ veſtræ ordo, velut independens in mundum venit; non debet talis educari, aut! ſed motos præſtat componere fluctus.

Velut Archimyſtes magnus, præſcribit, Indobatta-

dobattavis, ne juris dependentiæ ſint immemores: alioquin iras rixaſque minatur, ut quaſi pædotriba, tironibus illis legem ponat, ac pœnam intentet quaſi ſervulis, ni mandata exequantur; ut non tam de religione illic propaganda quam de regendi imperandique formulis laboraſſe videatur. Mirum tamen cur fateatur independentem fuiſſe eccleſiam illic primo natam? fortè quia à Batavis initio illuc miſſi ſint prædicatores; ut Eccleſiæ Walachræ videatur totum dependentiæ jus tribuere; hoc perſuadens, non legitime dependere Indos, niſi ab ſe & Walachris dependeant; quaſi cum Grallatoris imperio Walachro orta illic ſit vera dependentia.

Hoc imprimis ridiculum eſt, quod Indis, niſi ab ſe bene dependeant, minetur *famem*; *quaſi eſcam non daturi ſint patricolæ*, niſi dependentiam rectè colant: prodit certe, *panis lucrandi negotium* ſibi imprimis cordi eſſe; ut, mercenariorum immo jumentorum in morem, *eſcam præbere*, *eſcam eripere*, ſummum præmium ac pœna ſit Walachris myſtis. unde non injuria olim illud Plauti adjeciſſe videor in Bombomachidem:

Venter creat omnes has ærumnas.
Auribus peraudienda ſunt, ne dentes dentiant,
Ac aſſentandum eſt quidquid hic mentibitur.

Nec tamen minandi ita parcus, quin velut ſpumeus rex, pœnarum vortices ſpiret: per ſinum *Quos ego! ſed motos præſtat componere fluctus.* haud aliter enim nugatur; ac ſi, ut olim, Neptunus maris Deus,

Deus, hic nunc in Zeelandorum (ab mari dictis) inſulis imperium teneat: quod ſequentia quoque confirmant.

Sult upt den Brieff der Broederen gedeputeerde ſien konnen / wat de Carolei fratres Mattiaci al doen/ om uwer Kercken vryheyt/ſekerheyt en ſegen: neemt het ten beſten datter gedaen wert; *me cerne principibus permiſſum Achivis, tu poſt carecta latebis.*

Hoc eſt, *Ex litteris deputatorum fratrum videbis, quid Carolei fratres Mattiaci agant, pro veſtrarum eccleſiarum, libertate, certitudine, & benedictione: quidquid ſit, boni conſule: me cerne Principibus permiſſum Achivis, tu poſt carecta latebis.*

Magnus ſuarum virtutum ubique decantator! quaſi Pyrgopolinices. cui merito,

Quid ego tibi dicam quod omnes mortales ſciunt;
Pyrgopolinicem te unum in terra vivere,
Virtute, & forma, & factis invictiſſimus.

Myſticum eſt, quod *Mattiacos* vocet fratres *Caroleos* ab Carolo magno aut quinto imperatore (ut videtur) imitato nomine: videlicet, ut is olim magnus fuerat imperator; ſic quoque inter Zeelandos, omneſque alias eccleſias, imperium teneant Mattiaci Walachri, & inter Walachros, quaſi princeps Archivorum, Grallator, uti olim εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων, late imperitans Agamemnon.

Ex conjecturis hæc, ſed non inveriſimilibus: ſi

ſi vetus Walachræ Claſſis dominium in reliquas Zeelandiæ, & Apollonii in myſtas Walachros reliquos faſtus conſideretur: attamen ſi nunc viveret ille Perſantius, næ magnum hunc Thraſonem poſt Carecta latentem videret! Progreditur.

D. Vincentius is op 't laetſte veroverde Zas van Gent beroupen; hebbe tot twee reyſen inden Haeghe by haere H. Mog. gheweeſt/om de diſputen over deſe beroupinghe tuſſchen haere H. Mog. (die een Predicant ex authoritate wilden ſenden) ende de Claſſis / twelck pretendeerde het Ius Miſſionis haer toe te commen: hebbe nu ten alderlaetſten de ſaecke tot ſulcken goede accommodatie ghebracht / dat daer een Kerckenraet is ghefoꝛmeert / die de beroupinghe heeft ghedaen met goet ghevallen van haere H. Mog. ende de claſſe: ſijn nu beſigh met D. Vincentius te promoveren.

D. Vincentius in pridem occupato Zas Gandenſi vocatus eſt: bis Hagæ comitis fui ad componendam litem inter Illuſt. & præpot. Ordin. (qui illic pro authoritate prædicatorem mittere volebant) & Claſſem quæ ſui juris hoc eſſe aſſerebat: rem tandem ita compoſui, ut illic ſenatus eccleſiaſticus creatus ſit, qui vocationem inſtituit cum præpotent. Ordin. & Claſſis aſſenſu. verſamur nunc in Vincentio illic promovendo.

Iactantiam Thraſonicam iterum oſtendit, dum ſua

ſua facinora ubique narrat : quaſi ad componendam litem ſolus aptus fuerit , inter Ordines & Claſſem. ac ſi dicat :

Nam Rex Seleucus me opere oravit maximo;
Regi hunc diem mihi operam decretum eſt dare.

Mirum ni ex centonibus tunc exprobrarit Illuſtr. Ordin. quod (cum pro authoritate vocare vellent) fuerint Simoniaci , Sacrilegi, Tyranni : dum vocationem miniſtri (quam ſtatuunt ſanctitatum eccleſiaſticarum radicem) non tangere modo , ſed abſolute tractare voluerant. Quam imprudentes tunc fuere præpotentes Ordines ! quod ne quidem poſt tam adultam reformationem recte ſciverint , ſibi hoc negotium neutiquam convenire ; Cum non Grallator modo , ſed hæc fanatica Parca ex Walachræ Claſſis decreto ſtatuat, ſacrilegos eſſe politicos , & Vſiaca plaga dignos, ſi formaliter eccleſiaſtica tangant. Eſt quod Grallatori gratias referant aurato boleto Præpotentes Ord.quod prudentis viri conſulto tunc evaſerint, ne vel mortui ſint hodie omnes,aut Vſiaca plaga ſaltem circumerrent. Perſequamur fabulam

Alwaer wy dan Riquium wel ſouden willen inbrenghen / doch is de uytcomſte noch onſeker. Tot Vliſſinghen is den Predicant Joos de Buſon doot ; daer Riquius / ende Potey / in ſeer groote conſideratie kommen / ſoo D. Burſius (die wy favoriſeren) daer voor ſijn groot hooft niet in kan komen.

Latine ſonant. *In*

In quem locum Riquium dein libentes importemus, ſed incerto adhuc eventu. Vliſſingæ mortuus eſt prædicator Iodocus Buſontius; ubi Riquius, & Poteyus, in magna ſpe ſunt, ſi D. Burſſius (cui nos favemus) propter magnum caput illuc introire non poſſit.

Oſtendit quam ſacra & libera illic ſit vocatio miniſtrorum; ut tanquam magnus Archypreſbyter, vacantibus ac non vacantibus quoque eccleſiis, novos ſtatim prædicatores deſtinaret; quaſi necdum viduis mulieribus ac ſuperſtite adhuc marito, novum maritum meditaretur: ut ex his litteris videas, non aliter illic curæ illi fuiſſe, quibus eccleſiis qui myſtæ præponerentur, ſuo favore; quam ajunt vulgo ad pugillares ſupputaſſe, quas virgines, quas viduas, quibus conjugibus ſociari vellet; ea lege, ut donaria vel nuptiales lautitias ſemper venaretur. Pergit.

Jck ſchrijve Miſcellanea; ende ſal om uwe kerckenordeninghe by haere Hoog. M. moeten verſchijnen: alwaer wy ſeer ſullen haranguéren / teghen het jock der dienſt-baerheydt / uwe kercken op gheleyt / Ordinib. & Eccleſiis: maer hoore hinc inde vremde dinghen / an non omne malum ex te, Iſrael? men ſegt de predicanten op Batavia daer van de oorſaecke te ſijn / ende door haer twiſten onder malkandren / door haere vuyle inkruppinghen / ende quid non? uwe E. blijft noch ongeſchent: maer loopt onſe D. Fierens hier ſeer

aen /

aen / die ghesept wert in gratiam Gubernatoris Generalis ghepredickt te hebben / tot verschooninghe van hoererije ende overspel / inde heete landen: ſi hoc verum, maximum eſt vitium; ſi falſum, maximum convitium: weet niet wat ſal oordeelen: wenſte van V. E. met den naeſten geinformeert te werden; hebt ſout in u ſelven / ende vrede onder malkanderen. ſullen niet naerlaeten in het backeleijen / alle argumenten by te brenghen welcke wat hulpe uwe Kercke ſullen toebrenghen.

Hoc eſt.

Scribo miſcellanea: & ordinis Eccleſiæ veſtræ gratia neceſſe erit mihi apud Præp. Ordines comparere: ubi multum perorabimus adverſus jugum ſervitutis, veſtris Eccleſiis impoſitum, Ordin. & eccleſiis inſciis. Sed audio hinc inde mira, an non omne malum ex te, ô Iſrael? prædicatores Indobatavi in cauſa eſſe dicuntur, propter lites mutuas, & turpes irreptus, & quid non? tua r. adhuc illæſa eſt: ſed noſter d. Foerens hic vehementer vapulat: qui dicitur in gratiam Gubernatoris generalis ibi prædicaſſe, ad excuſandam ſcortationem & adulterium, in calidis regionibus: ſi hoc verum, maximum vitium eſt: ſi falſum, maximum convitium: quid judicem neſcio. optaſſim abs te noviſſimis certior fieri: habete ſalem in vobis, & pacem inter vos: non ceſſabimus inter di-

gla-

gladiationes, omnia argumenta proferre, quæ aliquid opis veſtræ eccleſiæ conferant.

Monachorum more miſcellaneus eſt, Belgicolatinus; ac ſcripturæ ſacræ verbis ad ſua commenta abutens; perpetuus tamen in jactanda ſua virtute; ſua pluralitate turgens etſi ſolus ſit: ita rem ad Indos ſcribens, acſi magnus Athleta, ſolus pro omnibus eſſet decertaturus. voces Harangueren, & Bakkeleyen, (quibus utitur) linguæ periti dicunt eſſe Emphaticas: ab magnis oratoribus, & athletis deſumtas: quibus ſignificat, ſe velut Tertullum aliquem, aut gladiatorem, cum Illuſtr. & præpotent. Ordinibus pro Indorum libertate decertaturum: pugnos ponderans, & arma expediens, velut alter Pyrgopolinices.

Ridiculum eſt; quod Indos objurget, Cathedralis cenſor, de litibus inter ſe exercitis, ac vocationis corruptelis; quaſi irreperent; (impudentiam ſis vide) dum diſſidiis, ſimonia, & omni fraudum genere infamis, quaſi loripes, rectos derideat;

——— *aut Gracchus de ſeditione queratur.*

Ea Walachræ & Apollonianæ ſanctitatis Iurisdictio tum erat, ut nemo illis diceret impune, quid facis?

Notet lector; animum illi tunc turſiſſe fermento illo Walachri regni Eccleſiaſtici, quod imperiales Mattiaci moliebantur ad Indas uſque eccleſias ſub nomine dependentiæ; ſeque unum in hoc conſtituendo oſtentat; erat enim

editione ſuorum *Centonum*, & conſiderationum ad Anglos, apud incautos celebris & ferox: neſcius, quam facili negotio dein Grallarum facetiis eſſet proſternendus. Pergit.

In arte litteraria kommen hier daghelijcks veel fraye dinghen uyt. het is nu in Hollant een Capitale queſtie *de Capillitio*; daer Polyander/ Salmaſius/ Voetſius/ Matius/ Vdemans / in ſchrijven / ſeer heftich tegen malkanderen.

Non agitur de lana Caprina, ſed capillis capitis & menti, & produnt, in ſcriptis illis, plus ſapientiæ in mento, quam mentis. Tis een Capitale oorloghe *inter Cæſarios & Curtios: ego ut ſpectator Pſilos & Mallotos illos rideo; & neſcio quis magis demens; qui Calvam deſcendere faciunt in mentum, an qui mentum aſcendere faciunt in Calvam.* Ick ſende V. E. mits deſen wat mede / vande Theſes Cloppenburgii / die ſeer fray zijn ten aenſien van ſolide Theologie / bey Cum annexis: hebbe die met moeyten verkreghen / en berooye my ſelven om V. E. te dienen; verum amicitæ πκμήελον; ende eenighe van Voetſius in cauſa dependentium: gedruyckt ende doet profijt: wiſt ick V. E. ergens in te dienen / ſoudet niet naer laeten. Quæ latine ſic ſcribo.

In arte litteraria hic indies multa pulcbra prodeunt. In Hollandia nunc capitalis quæſtio eſt de capillitio; in qua Polyander Salmaſius, Voetſius, Matius, Vdemannus ſcribunt, magna contentione ad invicem: non agitur de lana Caprina,

prina, ſed capillis capitis & menti, & produnt in ſcriptis illis plus ſapientiæ in mento, quam mentis; Capitale bellum eſt inter Cæſarios & Curtios: ego, ut ſpectator, pſilos & mallotos illos rideo! & neſcio quis magis demens, qui Calvam faciunt deſcendere in mentum, an qui mentum faciunt aſcendere in Calvam. Mitto t. r. ſimul aliquid Theſium Cloppenburgii, quæ elegantes ſunt quoad ſolidam Theologiam, cum annexis: cum labore acquiſivi, ac me fruſtror, ut tibi ſerviam. verum amicitiæ τιμιώτερον. & quædam Voetſii in cauſa dependentium. utere & lucrare: ſi t. r. in aliqua re ſervire queam, non omiſerim.

Ad litterariæ rei Criſin dein venit, ac, velut magnus Ariſtarchus, audet ſingula

Vt male tornatos incudi reddere verſus.

Thraſonico ubique faſtu, haud aliter acſi Cælum decempeda metiri vellet. viros enim Celeberrimos quos citat omnes ut metropolitanus Cenſor perſtringit: paronomaſiis ſuis rythmicis barbare ſe oblectans; huc tamen evadens ut omnes ad unum rideat; ac dubitet, an in *mento* potius ſapientiam (hircorum more) habeant quam in *mente*: quam felix! ſi infantiæ ſuæ tunc conſcius, ut nunc, cogitaſſet *quid ſit ignem gladio fodore*, nunquam hoc quod ſentit tuliſſet infortunium. Progreditur.

D. Panelius ſoude oock wel haeſt naer de

warme landen moghen komen/hier wort (putant vitium ſcriptoris eſſe pro hy) een marteſkoo kael aende poorte / hy ſal onder dien vochtighen nacht Hemel / ende heetedaeghſe Sonne/ by D. C. wel wederom met wat ruychte begroepen : doch 'ten ſtaet noch niet ſeker / de naeſte ſchepen ſullen miſchien meer ſegghen. *Iucunda & jocoſa hæc ſunt.*

D. Panelius cito forte ad calidas veniet regiones: is ut ſimia calveſcit ad podicem; ſub humido cælo nocturno, ac fervido ſole diurno hirſuties illi cito recreſcet : ſed necdum certum eſt : per proximas naves plura forte. Jucunda & jocoſa hæc ſunt.

Impurum animi vitium prodit: dum ſcurriles Jocos,pro jocundis adhibet ; ad ſubſannandum ſymmyſtem ſuum Panelium, & conclaſſiarium : quem ob rei nummariæ anguſtiam comparat ſimiæ excaudi , qua enummis podicem calvum haberet; præſagiens,in Indiam profecturum, ut liberaliori ſtipendio illic rem reſtitueret ; quod vocat hirſutiem ad podicem recipere : ſcurrarum , ac circumforaneorum nebulonum dialecto utens ; ut ſuo compresbytero,ſpeciali jure ſacro , illuderet ; hoc turpiloquio oſtendens ; quam præ ſe omnes æquales faceret: imprimis quantus mundanarum opum æſtimator ſit: videlicet ut ſimiarum ad podicem calvarum in numero habeat, quotquot ex prædicatoribus nummis non abundent ; Panelio quaſi belluinum & obſcenum vitium exprobrans, quod ad rem faciendam attentus non fuiſſet: ſibi interea

tacite

tacite gratulans, quod forte tutelari collybo, ſponſalitiis Baroniis, auro Britannico & miniſteriorum venditione ditatus, non inſtar hominis calvo, ſed porci inſtar hirſuto podice obambulet. Pergit.

Sonnevelt heeft hier gheen plaets / als inden Schoot van Juffrou van Twiſt / met welcke hy uyt India kommende getrout is.

Sonneveltius hic locum necdum habet, niſi in ſinu matronæ van Twiſt. *Cui ex India rediens nupſit.*

Contemptim loquitur de conjugio alterius myſtæ, quod inconſulto ſe metropolitano Walachro in itinere contraxerant; quaſi dolens, quod ob abſentiam conjugali præmio fruſtratus eſſet. imprimis obſcenus ſuo more eſt in deſcribendo negotio prædicatorio. (quod *tamen* paſſim clamat ſanctiſſimum eſſe.) aperte enim dicit, Sonneveltium *locum* necdum habere; intelligens, ubi prædicaret: & ſtatim deflectens eadem periodo ad connubialem rem; pro loco prædicatorio, qui in eccleſia & ſuggeſtu eſt, ſubſtituit illi locum tanquam ſuccedaneum *in ſinu uxoris.* Summam habet lector litterarum Apoſtolicarum, quas ſpeciali jure ſanctus Grallator miſerat in Indiam ad Perſantium: qui in vivis deſierat eſſe priuſquam illuc appellerent. præfecti Indiarum dignas habuere, ut earum exemplar ad patricolas remitterent, ob formæ materiæque raritatem: ſunt certe tales, ut vix triobolaris vappa, aut bibax popino, ſcurrilius de ſacris: velut impurus ſor ilegus, ſubdolus ſannio,

 feſta

feſta profeſtis, ſacra profanis miſcet; *à Caliga enim Leydenſi ad nates Teylingii decurrit ad calvum podicem Panelii, ac deſinit in ſinum matronæ* van Twiſt; unde jam videas ingenium noſtræ Parcæ; quæ hæc non ignorans, cum ſuis claſſiariis, tam audacter glorietur de mira ſanctitate Walachrorum, imprimiſque Grallatoris, quem tota Claſſis ſuffragio ſuo pro viro ſanctiſſimo velit haberi; ut jam ſuum Plaudite huic fabulæ cantillare velim ultimo Torcutam.

Salve, Apolloni, fax ſapientiæ,
Lumen ingenii, vis eloquentiæ,
Claſſis honor, legum fæcunditas,
Templi decor, menſæ jucunditas:
Vulgi Clamor, vigor juſtitiæ,
Plebis amor, Cleri delitiæ.

Ego nunc abrumpam hoc trajectitium longum & currens filum; quia hoc uno exemplo, quaſi ex ungue, de reliquis leunculis Walachris judicari poteſt; ut jam tempus ſit terminum ponere, inepto, inſano, & ſalivoſo lanificio Torcutæ Walachræ: quæ, præ ceteris dolens ſanctitatis pontificiæ ſaccum miſere à me disſciſſum & diſiectum eſſe antehac, arrepto lanificio filamentorum iterum faſcem undequaque corraſit; ſperans dein prodituram alicunde Penelopen, quæ operi inſidens, telam iterum de novo texat, politicis ſuffocandis & capiendis. quod ſi aliquis me non ſuperſtite moliatur, invenient, ſi bene advertant principes pii, non ex corio, vel denſo panno, ſed ob texturæ raritatem,

tem, reticulare opus; per quod facile viſuri ſint fraudes eccleſiaſticorum, ac,ſi neceſſe ſit, per plagas trajecturi manum & gladium; quo ejuſmodi lanificas in ordinem cogant, donec depoſita imperandi libine (cui ſemper ſub dependentiæ prætextu inhiant) ſibi ſervent ultimum Pauli teſtamentum, quod jam jam libandus morti reliquit ſuo Timotheo, 2. Tim. 4. 1. 2. *Obteſtor te coram Deo & domino Ieſu Chriſto, judicaturo vivos & mortuos in illuſtri illo ſuo adventu & regno ſuo: predica ſermonem illum: inſta tempeſtive: argue, objurga, exhortare cum omni animi patientia & doctrina.* hæc ſibi dicta credat Lacheſis Vliſſing-anus, ab eo quem non videt: nec indignetur, ſi rurſus inculcentur, ab eo quem fruſtra videre deſiderat: diſcat ſuæ ſtultitiæ modum finemque facere; deſinat impiiſſimi Grallatoris fictam pietatem venditare: ſin pergat delirare, ac velut inſana *φθειροκτόνος lentifraga* maledicere, nil acerbius precabor, quam ut ab grallatore Walachriſque ſuis ſemper dein habeat

Bonam lanam, bonum linum:
Bonum panem, bonum vinum.

Walachrorum nænias hactenus exploſiſſe viſum fuit; quibus nunquam id tributum volebam ut ſerio incumberem; ſed tanquam ludicris illudere ſemper libuit. Ad pios myſtas, inclytoſque Principes, nunc ſerio loquar, & ultimo.

Videant, in Grallatore ac Vliſſing-anu Walachris, faſtus ſuperſtitioniſque ludibrium! cui-

quibus toties, convictis, exploſis ac deriſis, par manet in errando pervicacia, ac in maledicendo pernicitas: quod jam aperte omnes audiant, videant, ſentiant, ſi, velut ſenſuum orbi, nec videre, nec audire velint. hæc humani ingenii perverſitas eſt! quotiens honoris commodique blandimentis abripitur, difficillime in viam rectam ut retrahatur: ineffabilis fuit ſed perbrevis orbis felicitas ſub Chriſto & Apoſtolis! dum inter religionem ſuperſtitionemque infallibilis erat diremtus; ut qui illorum ori, veſtigiiſque adhæreſceret, nunquam, religionem quærens, ſuperſtitionem inveniret; aderat tunc ſcilicet Chriſtianis ſpiritus ille in omnem veritatem ducens, Ioan. 14.

Ab Apoſtolorum deceſſu mirabilis ille felicitatis flos paulatim defloruit; ſeu hominum perverſitas in cauſa fuerit; ſive deſtinato hoc fecerit Chriſtus: non aliter ac recens nato infanti, ſuccum & puriſſima quæque nutrimenta ſuppeditat mater; quæ dein adoleſcenti ſubtrahit, ut ſuis adminiculis neceſſaria procuret.

Sub Tertulliano videas fuiſſe adhuc poteſtatem Chriſtianis *ejiciendi dæmonia*; de qua apud Principes gloriatur.

Poſt in veterum monumentis invenias, miraculorum fuiſſe reliquias, ſed tam frigide editas, ut legenti ſtatim occurrat falſitatis ac figmenti ſuſpicio.

Infallibilitas, quaſi Apoſtolis peculiaris, ſtatim ab illorum morte ceſſavit; ut non ſub Irenæo modo, Clemente, ſed Tertulliano, Cypriano, Juſtino, aliiſque invenias, quæ veritatis Apoſtolicæ puri-

puritate manifeſte deflectant: Cyprianum certe martyrem, ſcientia, pietate, & conſtantia nulli ſecundum, ita laudat poſt mortem Auguſtinus, ut errores in illo fuiſſe fateantur, martyrii face demetendas.

In regenda quoque Eccleſia, ab humano more & inſtitutis multa excogitare neceſſe illis erat; quo reverentiam religionis apud Chriſtianorum turbam, exteroſque hoſtes tuerentur: quibus ſe mutuo in ordinem cogebant; quorum uſus pro tempore locoque variabat. fateor, non inutilia fuiſſe inventa, & ad confuſiones arcendas accommodata: Sed quia ab humana radice naſcebantur, & ſecularem regendi morem ſervabant; hinc tandem accidit, ut copia uſuque moleſta, eccleſiæ ædificationi obfuerint, quæ primitus videbantur prodeſſe; haud aliter ac in humano Corpore, adeps, partibus affuſus, robur decoremque attribuit, ſi modum habeat: ſed dum in ſaginam excreſcit, prægravis noxiuſque, non decoro modo, ſed functionum exercitio incommodat.

Hinc martyrum nimis effuſa laudatio; in venerationem primo; dein in turpem adorationem ſanctorum devenit.

Cœnæ nimis affectata reverentia tandem ex Euchariſtia fecit idolum.

Ita Signi Crucis, Imaginum, Sepulchrorum, Cadaverumque, etiam vere ſanctorum, nimius cultus, tandem progreſſu deſiit in idololatriam.

Nec aliter, ex matronarum donis piorumque principum ac Chriſtianorum liberalitate evenit, ut eccleſiæ mutatæ ſint in principatus & regna.

Denique ab diſciplina ordineque nimis accurate ſervandis accidit ; ut de anthoritate ac præeminentia inter ſe contendentes eccleſiaſtici cum politicis, uni tandem Antichriſto omnes ſubjicerentur. Is fatalis errorum vitiorumque ſemper fuit progreſſus, ut initio ſpeciem præferant religionis, tandem deſinant in ſuperſtitionem. Tertullianus veterum, acutiſſimus, lib. de Corona militis, multa perſequitur, quorum uſum fatetur eccleſiis tunc factum ſtatumque fuiſſe, & tamen ad conſuetudinem eccleſiæ tantum refert ; inter quæ etiam ponit, quod ſacramenta antelucanis cœtibus, nec de aliorum quam præſidentium manu, ſumerentur. *harum diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies*, inquit. *traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo conſormatrix, fides obſervatrix.* ad quem locum Rhenanus citat ex Ambroſio & aliis: *in eccleſia primum omnes docuiſſe, omnes baptizaſſe, quibuſcunque diebus & temporibus. nec enim Philippus tempus quæſivit, nec Paulus & Silas, nec Petrus Clericos habuit, quando Cornelium baptizavit ; nec ipſe ; ſed juſſit fratribus qui cum illo erant apud Ioppe : ut ergo creſceret plebs, omnibus inter initia conceſſum eſt baptizare, evangelizare, ſcripturas in eccleſia explanare; at ubi omnia complexa eſt, rectores & cætera officia in Eccleſia ſunt ordinata, ut nullus de clero auderet qui ordinatus non eſſet ; & cæpit alio ordine gubernari eccleſia : in qua ſi omnes eadem poſſent, vulgaris res & viliſſima videretur.* unde humanam originem videas ſpecialis Iuris negotiorum, quæ nunc veteres novique papiſtæ pro intactis divinisque deprædicant.

Humani

Digitized by Google

Humani inſtituti certe fuere pœnitentiales ritus & cenſuraria ſtatuta, pro quibus tam audacter ferociit Ambroſius; à quibus tam pueriliter tremuit Theodoſius: Solius enim diaconi, & impuræ feminæ cauſa, eum ritum abolevit Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus. An legem remittere non potuit Ambroſius, auguſti Cæſaris cauſa? quam abrogare potuit ob factum impuri monachi Nectarius. Tertullianus lib. exhort. ad Caſtitat. cap. 5. *Nonne laici ſumus Sacerdotes?* (inquit.) *Scriptum eſt, Reges nos quoque fecit & Sacerdotes* Deo patri. *differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſia authoritas.*

Bene alibi Hieronymus. *Traditiones Eccleſia, præſertim quæ fidei non officiant, ſic obſervandas eſſe, ut aliorum conſuetudinem, aliorum mores non ſubvertat: unaquaque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum, leges Apoſtolicas arbitretur.* Ab uſu, humanoque arbitrio, ſunt plæraque, quæ in cultu religionis ab veteribus papiſtis hodie ſub Sacrilegio mandantur, quorum exemplar imitatus Grallator Walachrus (quod ſæpe monui) ſimilibus inventis, reformatis principibus conatus eſt illudere, ut religioſa, ſacroſancta, ac non tangenda crederent, quæ vel conſuetudo introduxit, vel principum authoritas confirmavit, haud ſecus, ac ſi laqueum clericis tradidiſſent Politici, quo tandem, non gregarios Chriſtianos modo, ſed ipſos legum datores, pro arbitrio ſtrangularent. Mira eſt fere Clericorum perverſitas, dum mundanarum rerum cura illis interdicta expreſſe ſit à Chriſto; quaſi *in vetitum nitantur ſemper, cupiantque negata.* Contemplis

ptis enim religionis Sacris (quaſi ſub imperio ſibi jam jacentibus) inſatiabili deſiderio rapiuntur, ut honorum opumque nunquam ſaturi, ſemper ſitibundi ſint.

Non erat abjecta ſors Levitarum olim; licet ſacrorum cuſtodes eſſent; hoc patiebatur cultus Cæremonialis Carnalitas, ut cum religionis cura, divitias mundique pompam quoque poſſiderent; cujus modum menſuramque ipſe Deus expreſſa lege præſcripſerat. Attamen quis illorum pontificum & Levitarum ſua ſorte contentus fuit? Præſertim ubi ab Moſis & Theopneuſtorum principum temporibus receſſum eſt longius. Nemo recentiores Hiſtorias leget, quin, bonorum, faſtuſque, inſatiabiles fuiſſe illos ſacrorum cuſtodes, comperiat; ut illorum vim & impietatem in ſe Chriſtus quoque expertus ſit.

Vnde non mirum fuit, quod diabolus, Eccleſiaſticorum morbum probe callens, ad Chriſtum ſibi ſubſternendum, monſtrarit illi opes regnaque hujus mundi, promittens ea, ſi ſe proſterneret, & adoraret. nec impudens modo hoc diaboli petitum rejecit Chriſtus; ſed volens Chriſtianæ religionis cuſtodes melius inſtituere, abdicata Levitica pompa, ſuo ipſe exemplo, expreſſiſque mandatis, omnem illis faſtum mundanumque dominatum interdixit: dicens, *reges dominantur*; *non ſic erit inter vos*. quod non ipſe modo, in terris degens, ſua moderatione oſtendit; ſed Sanctiſſimi quoque Apoſtoli, & præſtantiſſimus quiſque, geſtu, actiſque id comprobarunt. non fuerat honorum bono-

rumque

rumque exſors Paulus, fiſci magnus (ut volunt) procurator: attamen miniſterio Chriſti ſe addicens; dimiſſis omnibus, nil quam humanitatem & modeſtiam in pretio habuit: famis ſaturitatiſque æque ferax; ut nihil habens ſe glorietur *omnia tamen poſſidere*: denique certamen humilitatis inter ſe edebant illi primi theopneuſti; nunc jubentes, nunc juſſi; nunc mittentes, nunc miſſi; nunc præcipientes, nunc ſupplicantes; ut ſpiritus infallibilis afflatu oſtenderent, regnum quod quærebant, Chriſti, non eſſe hujus ſed alterius mundi. poſtquam mirabilis ille ſpiritus flare deſiit; mundi vento afflati præpoſiti, divitias, honoreſque affectarunt; nec prius deſiit illa libido, quam magno niſu, indefeſſo diaboli conatu, ex Romano Concionatore, factus ſit magnus Antichriſtus: qui contemtis deriſiſque heri ſui mandatis, eo impudentiæ devenit, ut, opibus, faſtu, ac, vitiis omnes Chriſtianorum & Barbarorum voratrinas ac regias ſupergrediatur.

Hic non ſubſtitit vitium! pridem in Walachria eadem libidine titillatus, myſtes Mittelburgenſis Apollonius totum Cultus reformati Choragium ita compoſuerat, ut ſanctitatis non tangendæ obtentu ſibi regimen eccleſiaſticum cum pauculis aliquot machinatus ſit: quo non audacter modo illic in magiſtratus graſſabatur; ſed quaſi imperii jam certus, odorem lucri venabatur ex re qualibet; quorum compertus, ſub claſſis ſuffragio tamen latitabat; & ab incauto Lareno, myſte Vliſſingano, ita defenditur, ut jam ſæpius admonitus, convictus & perfrictus,

non

non deſinat tamen, pro Orthodoxia, ſanctitate, & pietate Grallatoris tam impudenter declamare; ut Cateria, Laqueos, tormenta, carnifices, immo ſuperos inferoſque adjuret & teſtetur, nil ſe audiſſe vel vidiſſe; nec audire ac videre hactenus, in Walachris, imprimis Mittelburgenſibus, quod novitatem, & impietatem ullam ſapiat: ſed pura & concalcularia eſſe omnia priſcis reformatoribus, etiam ante 70 Annum omnibus in cenſum revocatis: ut Meretriceam ſtatim impudentiam videas, ubicunque antichriſtici illius faſtus rudimenta compatent.

Non fuit Eccleſiæ tam immemor Chriſtus, quin latitantium ſub ovina pelle luporum larvam cito detraxerit, & piis prudentibus aperte detexerit.

Si pietatis externam ſpeciem ſervaſſet ſemper pontifex Romanus, non ita facile abſterritæ ab illo Chriſti oves receſſiſſent; Sed dum fortuna dulci ebrius, & majeſtate ferox, in ſcelera publice ſibi indulſit; hinc facile viderunt reformati, non eſſe poſſe religionis cuſtodem, & Chriſti vicarium, qui omnis religionis riſor, vita factiſque ab Chriſto diſtet, ut verus Belial.

Ita novus ille Papula Walachrus, audacia ac ſcurrilibus dictis, ſcriptis, & factis, cito agnitus eſt, quis qualiſque ſit, ut non niſi cum infamia nunc deliteat ſub reformatis; & indecore toleretur, qui antehac velut magnus Superintendens, & ſacrorum arbiter, ſua decempeda omnia metiebatur. Hic jam deſinam dicere,

ſi

ſi pios myſtas primo moneam : ne dignitatem ſibi quærant ab *ſanctitate ſpecialis juris*, quam vocatio hodierna conferat: ab terrena & corrupta hac radice frivolum ſit tam cæleſtem *ſanctitatis* fructum expectare. divina & humano faſtigio altior res eſt iſta ſanctitas; quam non niſi ab divino illuſtrique principio prodire certum eſt. In prophetis, Sacerdotibus, & Regibus Theopneuſtis, olim fuit illa Illuſtris dignitas: ſed non prodiit niſi ab Illuſtri ſpiritus afflatu: is quia nunc ceſſat, quis effectum ſperet cujus cauſa non reperiatur? Relativa olim erat Sanctitas in Levitis, qua ſacris quibuſdam muniis erant addicti; ſed eam divina lex ordinaverat; nec ab humanæ voluntatis arbitrio ſuſpendebatur:ac ne quidem inhærens profanitatis vitium in illis emendabat. Quid nunc expectes? ubi ab humanis affectibus, pretioque, hæc vocatoria ſanctitas appenditur: ſcilicet! ut qui hodie puer eſt, & ſcholares vibices plorans, cras pretio, manibuſque impoſitis, fiat ſanctus, & autocratoricus ſub Chriſto dictator! vel quod Romæ videtur; qui hodie eſt popino, leno, ſubdolus ſannio, ac Chriſtianiſmi portentum; cras vocationis privilegio ſit religionis, immo cæli terræque arbiter & diſpenſator. quis tam demens qui hunc fucum non videat, aut reſpuat?

Non eſt opus, mihi credite,myſtæ,talium nugarum obtentu! ubi cum ordine & decoro qualicumque ſegregati eſtis ad ſacrorum tractationem; qua divini depoſiti eſtis cuſtodes,ac non aliter ſpectandi, quam ſi gregarius ante cives regni

regni ſucceſſorem, vel regium infantem geſtet; velut olim de Aenea luſit Maro; dum Anchiſen patrem in humeris Troiæ incendio efferret,

—— *dant tela locum, flammaque recedunt.*

Sic divinam ſobolem geſtare vos credite, quamdiu verbum Dei purum adfertis: *Hoc vivum eſt & efficax, omnique gladio penetrantius*; hoc non eget alicunde conquiſitis authoritatis figmentis; per ſe authenticum eſt; & invitis inferis majeſtatem ſuam ſemper tuetur. hoc ſi vel in teſtaceis vaſis pure, dictis, factiſque circumgeſtetis; non opus erit ſuperbis hujus mundi apicibus & faſcibus; non carnificum Cauteriis & flagellis; his armis diu uſus eſt infernalis ille flamen Romanus! hæc expediebat Mittelburgi ſcurrilis Archimyſtes Gralllator! quam diſpares Chriſto! Is cæli terræque dominus, ab elementorum univerſitate, & Angelorum legionibus, poterat petere quæ authoritatem ſibi tuerentur: non fecit; quia non voluit; non voluit, quia non decuit; ab ſcriptura ſacra, verbique divini tacita ac ſuavi *ἰσχύϊ* ſumſit, quo lupos, vulpes, ipſoſque eccleſiæ leones domaret. quis Apoſtolorum, Carnifices, tortores, Cauteria, & politicorum gladios invocavit? *docebant, monebant, precabantur, minabantur*, ſed quæ poſt hanc vitam eſſent eventura potius, quam quæ ipſi gladio, aut pro illis gladiati Principes eſſent illaturi; per illos tamen cæpit, per illos crevit arduum Chriſtianitatis negotium! nec prius decreſcere viſum eſt, quam, cum hac modeſtia non con-

contenti, ecclesiam occupavere, Cornuti arietes, qui primum authoritativi censores, tandem facti sunt potestativi nebulones. vos Principes pios ultimo hortor.

Ne credatis hodie ſupereſſe, in perſonis, vel rebus, aliquam non videndam, non tangendam à vobis ſanctitatem : olim ſub Levitis aliquid tale fuit : hoc nunc nec ſupereſt ; nec ſupereſſe evincitur: ac ne quidem ſub ipſis Levitis tale fuit, quidquid hodie tangere vetant clerici.

Prædicabant, precabantur; Sacramenta conferebant; vocabant, leges ponebant, cenſurabant, puniebant, etiam in religionis negotiis, etiam religionis præpoſitos, Principes politici. quis licentiam hanc ſuſtulit ? quis obicem hic verbis poſuit ? nimirum, uſus & conſuetudo ſeparationem fecit; neceſſitas dein ſuperſtitionem adjecit ; tandem fraus ſanctitatem non tangendam attulit. hæc fuit Antichriſti machina, qua gladium Regibus, religionem Chriſtianis extorſit: ſe ſanctum ſpeciali jure, imo *ſanctitatem* eſſe jactat : ſibi uni religionis ſacra concredi vult; deriſiſque vere ſacris, mundanarum rerum compilator, ex terræ Monarchis jumenta ſua fecit, & equiſones quos calcaret: haud aliter ac Perſarum olim proceres, Smerde Cyri filio contemto & occiſo, ultricibus diris huc neſcii devenere : ut Smerdi mago, impuri Cyri jumento, auribus trunco, dein parerent, ſolo Smerdis nominis errore; quod cum impurum ſcortum & ſemper in aula deliteſcens, obtenderet, tot inſignium virorum verticibus diu illudebat; donec fraudem edocti ſeptemviri Perſæ,

in aulam irrumpentes, magum obtruncarunt; ſuſpenſoque cadavere, magnatibus populoque, oſtenderunt, non Cyri Smerdem, ſed auribus truncum ſpadonem, & ſcortum, fuiſſe cui hactenus paruerant.

Non Lutherus modo, ſed plerique reformatorum, ſæpius monuerunt principes Chriſtianos: non eſſe Chriſti filium aut verum ſucceſſorem, ſed infame ſcortum ac impoſtorem, qui Romæ imperat; attamen fatali pertinacia turpem illam ſervitutem ſervire malunt illi dynaſtæ! Abſit à reformatis vobis Principibus ille veternus! Ni Majeſtatem tueamini, religioniſque nutritii, ac inſpectores eſſe pergatis, cæli, terræque dominiis excidetis. ex cryptis alicunde proſilient impoſtores, qui ſanctitatis prætextu (ut olim monuit Gualterus) criſtas adverſus vos attollent. quis crediđiſſet de Walachriæ Mittelburgo? illic perſonatus tenebrio tamen ſanctitatem eccleſiaſticam ſomnians, ſervitutem politicam vobis meditabatur: non ſaltim, ſed (ut Papa fecit) ſenſim, ſupra vos aſcendens.

Religio (inquit) *ſancta eſt: ergo ſancti ſint oportet qui eam tractent.* quinam hi?

Non vos Politici; *profani eſtis, Carnales, & bioticis alligati: Eccleſiaſtici ſoli ſunt: vocatione gaudent; terrena ſpernunt*, ſcilicet! & *nil quam cæleſtia cogitant.*

Inde jam conclamatum eſt,

Totum eccleſiæ Choragium, & formaliter

ter eccleſiaſtica , totaliter partialiter pertinere ad ſolos ſanctos eccleſiaſticos.

Quinimo *ſi ea inſpicere & tangere audeatis, politici , eritis ſimoniaci, ſacrilegi , tyranni , morte Vſæ , Vſiaca lepra , & Dathanico incendio digni. Quis veſtrum ad hae terriculamenta non contremiſcat ?* Creſcit dein luſus.

Quæritur quænam ſint illa Eccleſiaſtica formalia ? hic non eſt omnium fateor par impudentia : Vliſſinganus Bombomachides cautior; *Prædicationem numerat , Sacramenta , & Claves*: in his fere ſubſiſtit ; & tamen injurioſiſſime in vos Politicos ſalivat , ſi hic manum admovere audeatis.

Grallator ferocior addit :

Precationem , dependentiam , nomotheticam , judicium de rebus fidei , & jus colligendi ac diſtribuendi eleemoſynas.

Hic jam, (ſi oculos habetis,) pii dynaſtæ, in veſtros
——— Scandit fatalis Machina muros !
Fæta armis.

Si enim in tribunalibus , ſi in Comitiis aliquid ſtatuitis quod reipublicæ intereſſe judicabitis :

Ad Eccleſiaſticum tribunal concurrent Wa-

lachri myſtæ : Illic judicabunt, politicas leges & decreta veſtra non valere; repugnare eccleſiæ juri, tangere eccleſiæ formalia; hinc naſcetur occaſio vobiſcum altercandi; immo fandi copia extorta, imprudentiæ impietatiſque vos arguent. ſi ſacroſanctis monitis non parebitis, ab cæna abſtinebunt, cenſurabunt; ac ni deſinatis immorigeri eſſe, ob fugam ſcandali excommunicabunt, ut Ambroſius Theodoſium fecit! ſi ne ſic quidem pareatis, ad populum ex Cathedra in vos declamabunt, ut is in Sacrilegum Magiſtratum irruat; & quibus poterunt artibus ſeditionem movebunt: ſi gladio minemini, Eleemoſinari ære, (ſi permittatis) ac collectis eccleſiaſticis, dives quoque habebunt ærarium Mattiaci Carolei. quis legem ponet quin vim vi repellere audeant? Cum eandem obedientiam præpoſitis eccleſiæ ac ſupereminentibus poteſtatibus deferendam cenſeant, *ob Conſcientiam*; proſilient, mihi credite, ex angulis ſicariorum globi, quos non ſuperſtitioſa ſanctitatis perſuaſio modo, ſed argenti ſacri cenſus & dulcedo, irritabit, ut veſtris ſceptris cottidie exitium minentur.

Dubitatis quam finem habitura ſit res? in Papa videre! is millies iteratis & excitatis iiſdem artibus, illuc rem deduxit, ut jam feſſa ac hebes politicorum machæra, ſponte ſe intruſerit in meretricis Romanæ vaginam. illic tabida & iners detinetur, ac conditur: donec ad ſpiritualium nebulonum arbitrium promitur politicus enſis: tam

tam mollis & effeminatus ; ut non generoſorum modo politicorum virtutes plectere, ſed turpiſſima eccleſiaſticorum ſcelera defendere & laudare cogatur. Hujus tragœdiæ præludia videre eſt etiamnum Mittelburgi ! Ni principiis obſtetis, occultis cuniculis ſubruta majeſtas veſtra, procidet ad genua maleferiatorum Clericorum ! Feralis furialiſque ſervitus vobis erit ſervienda ! Servate potius gladium, & ſupereminentem poteſtatem, in omnem etiam Eccleſiaſticorum *animam*, vobis à Deo concreditam ! non quo divina humanaque omnia pro imperio perturbetis, (quod calumniatur, & de vobis præſagit malitioſa Walachra Druis) ſed ut, ordine decoroque ſervatis, divinis Chriſti de religione inſtitutis ultro ac moniti pareatis ; orthodoxe ac pie docentes viventeſque miniſtros defendatis ac honoretis ; effrenes denique ac perduelles impoſtores pro authoritate puniatis ac ſegregetis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD

AD LECTOREM
Typographus.

In abſentiâ Authoris, quem dictum erat folia ſingula illi tranſmiſſa percurrere, & errata conſignare, nulla habere potuimus, quæ heic ſub calcem Libelli more uſitato exhiberemus. Et, uti ſpero, nulla tam grandia erunt, quin aut Lectori non ſint futura moleſta, aut facili labore ab ipſomet emendari queant. Noſtris operis, quum feſtinaret Bibliopola, non fuit in poteſtate, ut de novo omnia folia percurrerent, & forte aliquid inter errata referrent quod Autori diſpliceret.

Digitized by Google